

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition parue à Bâle, chez Johann Froben, en 1522.
 Pour rendre la lecture plus aisée, les graphies ont été actualisées.

(N.B. A propos de la disparition soudaine du poète, voir le document en fin de texte.)

LIBER PRIMUS. LIBER SYLVARUM.

EPITHALAMION SERENISSIMI DOMINI SIGISMUNDI REGIS POLONIAE
 ET INCLYTAE REGINAE BONAE.

P1_1 v.1 Ecquis Io mentem stimulat deus ? Urimur acri
 2 numinis afflatu, nec nos exercet Agyleus
 3 more suo, gravis exarsit praecordia subter
 4 spiritus, insuetoque animum mihi perculit oestro ;
 5 nescio quod nostris divinum viribus impar
 6 adspirans molitur opus. Vix talia quisquam
 7 aut deus, aut certe diis talia proximus audet.
 8 Nam jubet acta sequi heroum Mavortia, et alto
 9 carmine regalem proferre Hymenaeon, ad ora
 10 magna virum, ut toto volitet manifestior orbe.
 11 Ipse deus jubet ista mihi, nec spondet inanem
 12 dexter opem. Nos jussa dei monitusque sequamur
 13 insuetum ingressi nobis iter, et loca Cyrrhae.
 14 Jam pedibus magnum ausuris ignota prementes.
 15 Et nova jam facies rerum majorque paratus
 16 humano ante oculos : jamque obversatur imago
 17 Laetidae, cum olim sibi junxit ab aequore vectam
 18 connubio Aemonius Thetin Oceanitida Peleus.
 19 Cum varii gemino coeuntes agmine divi,
 20 altera sidereo pars se demisit Olympo :
 21 altera Neptuni sedes, et regna reliquit
 22 humida, Thessalicas visura sed utraque pompas.
 23 At tu, o virgo decens, et jam prope Regia conjunx
 24 Pierios age nunc latices, et pande liquores
 25 Castalios, nam te canimus Bona. Tu mihi Cinthi
 26 conciliabis opem. Paret tibi turba sororum
 27 turba canora ; tuis citharamque hortatibus aptat
 28 Delius, optatas nectitque in carmine voces.
 29 Adsis, o regina, meis conatibus, et me
 30 dirige dum cantatur Hymen tuus, atque paranti

31 dicere conjugii causas et gaudia vestri.
32 Ipsa fave, breviterque uxoria sacra canenti.
33 Tempus erat quo jam nigrae pars plurima noctis
34 fluxerat, et nondum pulso Tithonia somno
35 uxor agens roseum praefulsit luthea currum
36 surgentis Phoebi radiis, cum Lemnius aureo
37 egressus thalamo Veneris deus ardua visit
38 Inarimes saxa, atque Aetnaea sub antra reversus
39 imperat ille novos opus ad fabrile labores,
40 et nudum exercet Steropen, Brontemque fatigat
41 sudantem, et lassat candente Pyragmona ferro.
42 Observata suo per commoda tempora furto
43 bellipotens Mavors tecta ad Vulcania tendit
44 amplexuque deam verbisque invitat amoenis,
45 accumbens posito jam nudus Acinace nudae
46 Thracius, et notos repetit Deus acer amores.
47 Cui mox arrisit blandum dea, suetaque fixit
48 oscula, jamque illi respondit amoribus aequis
49 quam subito amplexus inter Gradivus amicos
50 dulcibus affatur dictis, ac talibus infit.
51 O Regina, parens volucrum praedulcis amorum
52 alma Venus, quoniam fandi mihi copia numquam
53 largior, amplexuque frui securius ullum
54 ante fuit tempus, nunc seu cognomine Lemno
55 Sinthias ignipotens populos invisit agrestes.
56 Seu format Siculis electra liquentia flammis
57 insudans operi, massasve incudibus urget,
58 hortatus age, Diva, meos, hasque accipe voces.
59 Parrhasis e caelo qua despicit ursa patentes
60 Sarmatiae campos qua caerulus arva pererrat
61 Vistula, arenosoque intrat mare Baltheon alveo
62 usque ad Carpathii montis juga celsa nivosi,
63 et latos Scythiae fines, Tanaimque remotum
64 Rex populis bello, Rex optimus, optimus idem
65 arte togae, sceptris ac legibus imperat aequis.
66 Hic quoties fuis Scythiae per inhospita turmis
67 hostili gelidas infecit sanguine lymphas
68 armipotens, foedique ultus perjuriam Moschi
69 captivum aeratis affixit postibus aurum
70 armaque thoracasque virum celeresque sagittas
71 pariete suspendit templi ; et decrevit honorem
72 ingentem, aeternum, cujus victoria semper
73 rettulit acceptam superis per vota salutem.
74 Et populis placidam dedit obfirmata quietem.
75 Nota loquor, non hunc virtus Aeneia, non mens
76 (quamvis ille deos patrios ex Ilio alto
77 et genitorem humeris traxit Simoentis ad amnem
78 audacemque olim stravit per vulnera Turnum)
79 vicerat, absit enim veris injuria dictis.
80 Tertius hic finem ad proprium nunc labitur annus
81 ex quo dilectae uxori morientia clusit
82 lumina, et heu maestus luctum testatus amarum
83 Inferias dedit, ex illo quem tempore regni
84 maerentem viduo curas evolvere lecto
85 cernimus. At sexus illi non ulla virilis
86 hac concessa tenus soboles, tantummodo natus

87 inspectat geminas solacia caelibis aulae.
 88 Huic Venus oro aliquam ingenti de stirpe puellam,
 89 quando iterum exquirat dignam se uxori unam
 90 elige, sed regum illustri de sanguine cretam,
 91 sed forma eximiam, qualem sibi Juppiter optet
 92 nubere, si tantum Saturnia Juno sororis
 93 nescia conjugii fraterni nomen haberet.
 94 Unde sui similes natos, horumque nepotes
 95 excipiat, pulchro referant qui corpore patrem,
 96 qui nec degeneres animis praesentibus aequent
 97 magnanimum genitorem, amplo succedere digni
 98 Imperio, et regni sortiri sceptrum potentis.
 99 Hoc age, diva, placens haec sint tibi munera curae,
 100 hoc te per, si quod nostrum tibi dulce, vel umquam
 101 acceptum fuit inprimis Mars impiger orat."
 102 Haec effatus ibi extemplo Gradivus amatae
 103 ter dedit amplexus, optata ter oscula divae
 104 fixit. At illa, deo arridens, mox talia contra
 105 retulit, ambrosio manavit amabilis ore
 106 sermo, hominum divumque simul quo pectora mulcet :
 107 "Nae pridem Jovis imperiis fortissime divum
 108 acta rogas, primae cui rex est Sarmata curae
 109 quamque potens bello dextra est tam pace verendum
 110 imperii sceptrum, quo non est fortior alter
 111 Europae in populis Rex, non et justior alter
 112 Aenaeaeque meo non est minor ; haec mihi dudum
 113 solaque cura fuit : feci, Gradive, quod oras."
 114 Et jam pulchra suas ibit regina per urbes
 115 Hesperia e magna, atque arvis educta Latinis
 116 magnorum sanguis regum, pulcherrima Nymphas
 117 Ausonidas inter Latiasque ex ordine matres.
 118 Nec quae Sarmaticis concesserit Heroinis
 119 sive fides, sive est industria nobilis ulli.
 120 Pierios haec docta modos et carmina Phoebi
 121 Aonidum jam olim meruit decima esse sororum.
 122 Quae si Dardanio mecum sub iudice formae
 123 in certamen eat, Junone et Pallade victis,
 124 haerebit dubitans, quamvis Paris arbiter aequus
 125 aurea cui tradat victricis praemia formae.
 126 Dotales secum illa et opes atque afferet aurum,
 127 et picturatas vestes, matrumque labores
 128 Italidum, tanta ut populi mirentur euntem.
 129 Hanc equidem patris imperio (ni bella fuissent
 130 ducta per effrenes Scythiae durissima gentes
 131 struxissetque moras regi crudelis, et orbi
 132 gens inimica diu Moscho subjecta tyranno)
 133 ominibus dextris socia Junone jugassem
 134 florentem, intactam, jussu cum spicula nostro
 135 aurea torsit amor per fortia pectora regis.
 136 Torsit et innuptae casta in praecordia divae :
 137 idem ambobus amor, tactumque medullitus ipsum
 138 connubii et prolis memorem jubet esse virilis,
 139 hanc formae morumque monens, et nubilis aevi.
 140 Nunc quoque de tenera natorum accersere turba
 141 quaero duos, ambo pharetra et caelestibus ambo
 142 ignibus armatos, telique volatilis auro,

143 quis cura est flammis animos agitare deorum
144 dulcem in concubitus, et furta ad concessa movendo
145 divino placidas augent dum pectore curas.
146 Queis labor aeternum et caelesti e semine ductum
147 heroum genus, et castas accendere mentes.
148 Quales Aeaciden junxerunt Pelea quondam
149 aequoreae Thetidi, queis illicientibus olim
150 inclyta magnanimum devinxit Nelea Choris
151 Dardanio, qui nos olim junxere sub Ida
152 Anchisae Aenaeaeque meo fecere parentem."
153 Dixit, et accitis Citheraea potentibus arcu
154 imperat haec natis acrique potentibus igni.
155 "Ite, mea o nati cura et jucunda voluptas,
156 ite citi, atque armate faces, aptate sagittas.
157 Alter gramineis qua laeta Polonia campis
158 luxuriatque solo pingui, glebaque feraci.
159 Altrix illa virum quos Martius excitat ardor,
160 et salis et nigri tellus fecunda metalli
161 praedives pecoris, maculosarumque ferarum
162 mollibus exuviis, et tegmine martidos atro.
163 Illic inveniet meditantem proelia regem ;
164 atque graves vigili volventem pectore curas.
165 Alter Iapygii praeclara ad moenia Bari
166 (Sfortias hic Agathae Insubrum quae stirpe paterna
167 monstrat avos atavosque duces, famaue per orbem
168 illustres numerat materno sanguine reges)
169 devolet accelerans. Hic virginis, ille beati
170 regis legitimo mentem succendat amore
171 inserat aeternae semen durabile flammae,
172 ut manibus junctis tandem connubia firment,
173 exspectata diu populis, totiesque petita.
174 Ipsa adero, praesensque animis illabar amantum,
175 ipsa dabo vires, et mecum pronuba Juno
176 magna secundabit connubia numine dextro."
177 Talia finierat glauco Venus orta profundo.
178 Illi deproperant et jussa facessere divae
179 praecipites satagunt, celeresque per aera lapsi
180 sumit uterque suo telumque accommodat arcu.
181 Et digitis subito non mittit inane peritis.
182 Atque utriusque auro transfixit uterque sacrum cor.
183 Insolitasque faces praecordia ad intima subdens
184 protinus ingenerat placidum per vulnus amorem,
185 affectusque pares. Ibi primum Sfortias ignem
186 sensit, et ignoti subierunt principis ora.
187 Ipse quoque externae flamma correptus eadem
188 reginae thalamos petere, et conubia dextra
189 rex ambire parat, superisque hortantibus ipsis
190 caelestesque sequi monitus, et numinis auram
191 fas putat. Illi etenim tacita sub nocte cubili
192 in summo placidos carpenti lumine somnos
193 affuit interpres divum Cyllenius, actus
194 aetherea jussu genitoris ab arce tonantis,
195 Austriadae vultumque gerens habitumque potentis
196 Caesaris Austriadae, dictis qui talibus ipsum
197 aggreditur regem : "Tandem, o Sismunde, memento
198 promissi, et tibi quam pepigi ne ducere cesses

199 reginam, haud alio tali quam principe dignam.
 200 Paene piis nimium indultum lacrimisque querelisque
 201 uxorisque datum cineri satis. Euge secundis
 202 connubiis thalamisque vaca, fortisque beatam
 203 progenera sobolem, et regni spes aede futuras.
 204 Quae sero patris imperium, fulvumque Tiaram
 205 accipiat, Tanaimque ultra prolata capessat
 206 regna, diuque alta populos in pace gubernet.
 207 Hoc ipsum nunc velle Jovem, hoc tibi volvere Parcas
 208 spondeo. Tolle moras, totaque amplectere mente
 209 fata voluntatesque deum, Sismunde, tuique
 210 Caesaris hortatus, atque haec mea perfice tandem
 211 consilia, ac generi et regno succurre tuorum.
 212 Me penes omnis erit labor, huic aeternus in orbe
 213 stabit honos, tanti laudataque gratia facti."
 214 Haec ut Mercurius regi mandata ferebat,
 215 et somnum, et dulcem excussit per membra quietem,
 216 jamque deo similis tenues evasit in auras.
 217 Ipse autem Rex sollicito mox pectore versat
 218 quid superum mandata, novusque, repensque quid ultra
 219 poscat amor. Veniente die tum prima virorum
 220 accersit capita, et quae sit sententia promit.
 221 Atque oratores Romani ad Caesaris aulam
 222 extemplo jubet ire duos, quibus ista referre
 223 mandat et ingenue connubia tanta pacisci,
 224 ipsos alta Bonae sub tecta laremque profectos ;
 225 quinetiam magno e Latio secum ocius illam
 226 educant. Parent dictis et jussa facessunt
 227 legati, celerantque vias et rite secunda
 228 omnia perficiunt Junone et numine laevo.
 229 Jam et longum maturat iter Regina per urbes.
 230 Quo pietas, quo suadet amor, terraque marique
 231 ire parat ; multaque gravem jam aetate parentem
 232 deserit, excultosque lares, aurisque favoni
 233 semper frugiferas terras, vernantia semper
 234 prata renascentemque virorem, atque Appula tempe.
 235 Continuo naves onerat dotalibus auri
 236 gazis argentoque graves et vestibus aptis
 237 regifico luxu, et ventis dare vela secundis
 238 certa viae jubet actutum. Parentibus Euris
 239 temperat aequoreos facili dea numine fluctus
 240 orta mari, imperio et vastae moderatur aquae vim.
 241 Quam teneri circum volitant turba aurea nati.
 242 Ipsum igni caluit motum mare fluctibus imis.
 243 Illa nec hibernum sidus neque tempore duro
 244 tristia confusi formidat nubila caeli
 245 Adriacos emensa sinus, excepta potenti
 246 Caesarea populo qui sub dicione tenetur.
 247 Tandem Sarmatici populosa per oppida regni
 248 ducta, petit sedes urbis tectisque propinquat
 249 Gracchi opus, ut fama est, quae nunc Cracovia fertur.
 250 Cui rex ipse ampla procerum comitante caterva
 251 cum patribus sanctoque virum subeunte senatu
 252 advorsum venit, et secum intra moenia ducit.
 253 Ingreditur regina potens pulcherrima Nympharum
 254 Ausonidum, summis facies cui laeta deabus

255 effulget prior, cuique aurea Cypria honorum
 256 afflavit decus, et Junonius emicat ardor
 257 liminibus. Gemino frons aemula sidere vincit
 258 ablutum Paphiae Oceani sub fluctibus astrum.
 259 Et viget et tenero stat corpore gratia vivax
 260 progeniem confessa suam, Regumque verenda
 261 stemmata, jam regum et thalamis ante omnia digna.
 262 Non talem formae aspexit mirator Ulysses
 263 frondibus exsiliens, tantum non corpore toto
 264 nudus, inops habitus Phaeacia litora juxta
 265 Nausicaam : fulgent hominem supra, aurea Nymphes
 266 ora ; atque ambrosium spirans testatur honorem
 267 caelestem ingenti genium cum numine vultus.
 268 Subjectos spectat populos blandumque tuetur
 269 spumanti sublimis equo, qualem neque ducit
 270 cornipedum domitor melius, giratque per auras
 271 Cyllaron. Ipse suo gestit sub pondere et auro
 272 instratus sonipes subterque volubilis errat,
 273 argutum excutiens caput ; illa gubernat euntem
 274 hinc atque hinc animosa suisque involvit habenis
 275 rursum laxatis indulgens libera frenis ;
 276 arbitria, aspectatque ducem gaudetque marito
 277 et regi par ire suo. Super omnis et astat
 278 turba virum, ac matres tantam mirantur equi vim
 279 virginis ire manu, et digitis parere sedentis.
 280 Jam tibi, quis tantae taceat nunc gaudia sortis,
 281 sol novus exoritur, gratare Polonia terris
 282 magna tuis. Patrias caelo secum illa sereno
 283 divitias affertque aeterni veris honores.
 284 Et secum invectat melioris numina divi,
 285 quae tibi Lenaeae praestabunt munera vitis.
 286 Et tibi felices promittit Juppiter annos,
 287 saecula qui priscum facilis reparabit in aurum.
 288 Hac comitante, feras Moschorum sub sua gentes
 289 jura et Sarmaticis submittet legibus omnes
 290 rex tuus : Euxino imponet victricia Ponto
 291 signa dabitque manus victas dominumque vocabit
 292 accola Danubii, multarum dives aquarum.
 293 Qua se praecipitat septena per ostia late
 294 rex Ister fluviorum atrisque illabitur undis
 295 Tethyos, et magno nomen cum flumine sistit.
 296 Ipse et progrediens alios supereminet omnes
 297 laetus io Rex magnanimus, spectabilis auro
 298 et picturatae precioso tegmine vestis,
 299 praesentemque animum vultu promittit honoro,
 300 incessuque patet mens regia. Troius heros
 301 talis Sidoniae tectis successit Elisae.
 302 Ducitur interea celebris longo ordine pompa
 303 arcem ad sublimem ingenti qua regia saxo
 304 imposita est, regum sedes Augusta piorum
 305 aurea nunc, olim deformis et aspera moles.
 306 Instaurata micant sumptu praedivite tecta,
 307 summa auro radiant laquearia, fulgidus auro
 308 omnis stat paries fulvisque tapetibus ardet.
 309 Tu modo quae Ditis supremo a conjuge regni
 310 proxima jura tenes, tectis succede superbis

311 o regina lubens, flavo cui vertice conjux
 312 imponet gravidam gemmisque auroque coronam.
 313 Et tibi subjecti populi vicinaque regna
 314 dona ferent : niveo baccata monilia collo
 315 apta dabunt, alii crateras et aurea vasa
 316 inque scyphi capulo ramosa corallia summo.
 317 Plurima praeterea variarum pulchra ferarum
 318 tegmina, vix capient latae tot munera mensae.
 319 O vero Regina, olim Bona nomine dicta,
 320 nunc melior cunctis, quae deinde merebere duci
 321 optima, cum Regem nata jam prole parentem
 322 feceris et regni edideris solacia magni.
 323 Dii quibus esse ferunt regum connubia curae
 324 vera monent certumque jubent has edere voces,
 325 caelicolum ductu quae sunt ventura, priusquam
 326 tertius in caelo sua per vestigia labens
 327 annus eat, soboles nascetur tum aurea vobis.
 328 O praestans animi Rex ! O longe incllyta conjux,
 329 quae socium patrio cum nomine nomen habebit
 330 maternum Augustique illis agnomina junget !
 331 Ille puer tum cum genitor mitissimus iras,
 332 atque adversantis pacaverit arma nepotis,
 333 jam tentans gressus, jam et mascula pectora prodens,
 334 ductorum in medio redeunti parvulus olli
 335 cuncta patri similis : vultus humerosque genasque
 336 occurret, blandoque imitabitur ore virorum
 337 verba salutantum, Regem excipientia, grata
 338 necdum perfectae conatus murmura linguae,
 339 jam tum exsultanti similis similisque fruenti.
 340 O genus acceptum superis, et cura deorum
 341 ac praesens tutela hominum, quae gaudia vestrum
 342 pectus inundabunt, miro tum Regia plausu
 343 laetitiaque fremet olim, cum vestra senectus
 344 felices coram numerabit sera nepotes,
 345 plurima qui vestro imperio sola subdita jungent.
 346 Aeterna, namque est hoc vestri sanguinis, unum
 347 progenie terris dominos regesque daturi.

EPITHALAMION ILLUSTRISSIMO FERDINANDO AUSTRIAE ARCHIDUCI
 ET SERENISS. ANNAE REGINAE PANNONIAE DICTUM.

Pl_2 v.1 Nunc age si qua dies tot jam per saecula magnae
 2 affulsit jucunda tibi, nunc Austria regum
 3 feta domus, laeta haec successibus adstrue priscis
 4 tempora, nec dubites praeferre prioribus annis.
 5 Nulla adeo tibi fausta prius lux orta, nec ante
 6 Pannonias radiis lustravit amicior oras
 7 Phoebus, utramque videns uno sub principe terram
 8 qua venit exoriens, et qua sua lumina condit,
 9 augustique larem Regum incrementa daturum
 10 connubio cernit laeto, fratrumque duorum
 11 concordans animos, et natu rite minorem
 12 conjungi thalamis Reginae virginis audit.
 13 O felix iterumque domus supra omnia felix
 14 Austria, terrarum quae tot capita incllyta regnis

15 aedideris fecunda ducum, fecundior autem
 16 connubio juvenis parilisque futura puellae.
 17 Alite namque bona nunc, et junone secunda
 18 Pannonidos thalamos Reginae nubilis Annae
 19 Ferdinandus adit. Jam florida virginis aetas
 20 primaevi juvenis florentibus additur annis.
 21 Ante diem cujus virtus animusque virilis
 22 eminent, ingenuaque senes etiam indole praestat.
 23 Digna viro conjux, et tu dignissime tali
 24 virgine, Dux juvenis, quorum par forma nec aetas
 25 impar, idem animi amborum moresque benigni.
 26 Affectusque pares annis coalescere primis
 27 incipient, durum quos nec divellere ferrum
 28 nec vis ulla queat. Radicitus insita vestris
 29 pectoribus crescent concordia vota duobus.
 30 Haud aliter, quam quae Citrium Niaseida junxit
 31 Limoni, implicuitque sequaces arbore ramos
 32 surgentum prima insitio : complexibus haerent
 33 alternis, florent ambo ceu stipite ab uno,
 34 aureolosque uno producunt tempore fetus.
 35 Ipse annus, placidaeque aurae, simul arduus aether
 36 adspirant, claro et nunc lumine cuncta serenant.
 37 Purpurei arridet melior nunc gratia veris,
 38 et geniale decus tota tellure renidet.
 39 Uberiore fluunt aspergine roscida mella,
 40 et redimita nitent nunc versicoloribus herbis
 41 prataque odorato fragrant revirentia flore.
 42 Luxuriat Ceres alma, satisque et frugibus exstat.
 43 Nunc et populeas complectitur artius ulnas,
 44 implicat et ramis sese Lenaeia vitis.
 45 Populus ipsa simul teneram propagine vitem
 46 accipit, atque habiles pandit ceu brachia ramos.
 47 Quin etiam genus omne hominum et genus omne ferarum
 48 squamigerumque pecus picturataeque volucres
 49 augendae sobolis memores, nunc ignibus ardent
 50 legitimis placidumque invitant pectore amorem ;
 51 assiduoque aliam et successu perpete caram
 52 ingenerant prolem, et vitas impensius augent.
 53 Quam bene sunt taedis haec lecta jugalibus ergo
 54 tempora, quam primis complexibus apta duorum
 55 primaevi ducis, et jam natu virginis aequae.
 56 Ipsa suam linquit properans Venus aurea Cyprum
 57 et Paphon Idaliasque arces stipata volantum
 58 agmine natorum, jam qui caelestibus olim
 59 ignibus armati, telique volatilis auro.
 60 Illam omnes circum volitant, gens blanda, parentem.
 61 Quos risus tener, atque joci comitantur amoeni,
 62 et lepor, et triplex circumdans gratia matrem.
 63 Queis cura est flammis animos agitare deorum
 64 dulcem in concubitum, et furta ad concessa movendo,
 65 divino placidas augent dum pectore curas.
 66 Queis labor aeternum et caelesti e semine ductum
 67 heroum genus, et castas accendere mentes.
 68 Quales Aeacidem junxerunt Pelea quondam
 69 aequoreae Tethydi, queis illicientibus olim
 70 inclyta magnanimum devinxit Nelea Chloris.

71 Illa toris super instratis, de murice dudum
 72 semifero Tritone sedens, illabatur undis
 73 Danubii, et rapido vehitur perniciosus amne.
 74 Incaluere igni Nymphae Istrides, Istrides undae.
 75 Intepuitque imis commotus sedibus, altum
 76 exsertansque caput, muscosoque arduus antro
 77 vastior it, viridemque ingenti flumine ripam
 78 verberat, et geminis gratatur amanti amnis.
 79 Qua domus Austriadum stat celsa, unde oppida late
 80 Norica sublimesque arces et moenia crebra
 81 prospectare juvat, cinctas et moenibus urbes ;
 82 quin et agros Trauni, rapidis Anasique fluentis
 83 irriguos, egressa undis, hic rupe sub alta
 84 constitit alma Venus, non se visura minorem ;
 85 et forma egregia, et divina numinis aura
 86 Parthenicen, quae mox connubia sacra perenni
 87 lege secundabit socia Junone deisque
 88 praestitibus ; tibi flammeolo regina verendum
 89 obnuptura caput, teque intra limina sistet
 90 aurea regalis thalami, ducetque subinde
 91 tardantem ingenuo gressus notoque pudore.
 92 Sed tu o pulchra, deae morem gessisse memento,
 93 sera nec adspectu te subtrahe principis. Illum
 94 jam dudum vultus cepit tuus et bona forma.
 95 Nam te non ortum non pulchrior ulla cadentem
 96 raris fide bonis, Solem nunc femina cernit,
 97 nulla pudicitia melior neque pectore casto.
 98 Vincis et antiquas his moribus heroinas,
 99 et tibi nunc similem non aspicit aethereus sol
 100 ipse omnes radians per terras, et loca caeli
 101 ardua sive oritur, sive hic ruit altus Olympo.
 102 Felix o socio tandem expertura cubili
 103 dulce jugum, regumque altrix, materque futura.
 104 Vivite uterque diu, et propria haec sint gaudia vobis,
 105 o princeps generose, o et optima principis uxor.
 106 Vester ab augurio maestum nil sentiet Hymen.
 107 Regia si curae superis connubia, vestros
 108 dulcia complexi cernetis pignora natos,
 109 atque ex his alios solacia vestra nepotes.
 110 Connubio ex isto laetatur Iberia dives
 111 maternum unde genus juveni, et natalis origo.
 112 Illis namque locis in luminis aeditus oras
 113 arrisit blandum genitrici regius infans.
 114 Austria nunc etiam se totam in gaudia fundit.
 115 Unde patris longa serie genus, usque Deorum
 116 Caesareum aeterno semen de sanguine ducens.
 117 Nec minus exultat Panno vicinus, et alta
 118 illustrem jactat regum de stirpe puellam.
 119 Quin etiam parte ex omni Germanicus orbis
 120 gratatur generi Austriadum, cui plurima debet.
 121 Saepe etenim ductoris egens qui temperat omnes
 122 imperio terras, reges hoc dante recepit.
 123 Et jam sol properans radiosos occulit ignes
 124 fluctibus Hesperiiis et jam incumbentibus umbris
 125 humida nox terras tenebris, et flumina opacat ;
 126 grataque nunc puro consurgunt sidera caelo.

127 Ipse Jovis magni exoriens nunc armiger ales
128 et rostro, et geminis spectabile sidus ab alis,
129 imperium tandem juveni portendit avorum,
130 communesque aquilas cum Caesare fratre futuras.
131 Ast ingens cadit et venabula condit Orion
132 aurea lustrantesque canes indagine saltus
133 nunc revocat, tibi quo venandi pectore cedat
134 paulisper studium, subeat dulcissimus ardor,
135 Fernidande, tibi et sit res uxoria cordi.
136 Nunc potior nec praeda hominum nec adacta canum vi
137 icta sed haec volucrum telis tibi venit amorum
138 cura Dionaeae Veneris, quae tardior undis
139 mergitur Oceani, vestros nunc sidere pulchro
140 complexus visura prius, quae vinciet ambos
141 nexibus aeternis et cesto junget amantes.
142 Quam fratres una Oebalidae, concordia fratrum
143 pectora, mirati, caelo opperiuntur ab alto
144 casuram Hesperium multa jam nocte sub aequor.
145 Hoc sub tempus, et haec per laeta faventis et almi
146 sideris auspicia, egregio desponsa marito
147 succedit thalamo Regina, toroque locatur
148 sublimi, eximio gemmisque auroquenitenti.
149 Illic effigies regum visuntur avorum
150 majorumque omnes, juxta natiq̄ue nepotesque
151 Austriadum claraeque adstant Heroides una,
152 auro intertextis ornatae vestibus omnes.
153 Scepstriger hic vestro primus de sanguine Caesar
154 Rudolphus, triplici frontem diademate cinctus
155 augusto sedet in solio ; hunc prope cetera regum
156 turba ducumque adstant. Quorum haec communia quondam
157 nomina, magnanimi Alberti Ernestique potentes,
158 et mites Friderici, olim fortesque bonique
159 et Leopoldus, et ipsa toro fidissima conjux
160 dux olim, sanctum nunc inter numina numen.
161 Stant alii longo supremi ex ordine Reges,
162 tempora fulgenti quorum enituere corona,
163 quos juxta Caesar Fridericus, et optimus ille
164 aurata in trabea vir pace insignis et armis
165 Maxmilianus avus propior genitorque Philippus,
166 Ferdinande, tuus, quem vix dum saeva potitum
167 imperio regnisque orbi parca abstulit, acri
168 ante diem sternens morbo juvenemque revellit.
169 Horum vos similes mundo generate Nepotes
170 terrarum dominos olim regesque futuros.
171 Ut domus Aeneadum, sibi quamvis asserat illam
172 cui genitrix dea prima fuit tot regibus auctam,
173 inclinet domui vestrae : jam et cedere tantae
174 non dubitet, vincantque opibus numeroque potentes
175 Aeneadas omnes vestri natiq̄ue, nepotesque.
176 Imperio validis totum qui viribus orbem
177 germano adnotum propriis sine fine tenebunt
178 arbitriisque regent, quorumque immensa potestas
179 claudetur magno tantum, cum nomine, caelo.

LEOPOLDUS

SEU PAEAN IN DIVUM LEOPOLDUM, AUSTRIAE PRINCIPEM ET TUTELARE NUMEN.

P1_3 v.1 Alma parens regum et nutrix domus Austria centum,
 2 ter felix gratare tibi, gratare supremis
 3 nunc age principibus, summi quorum alter Olympi
 4 sedibus et magna divorum in gente receptus
 5 vescitur ambrosia et divini nectaris undam
 6 purpureo bibit ore, deum carchesia libans
 7 insignis Leopoldus avis et stemmate regum
 8 nunc major, quoniam socia inter numina numen
 9 caelesti fruitur vita et mortalia cuncta
 10 desuper aspectans hominum juvat usque labores.
 11 Alter habet terrae imperium, cui maximus orbis
 12 inclinat. Nam quid Romano Caesare majus
 13 orbis habet ? Victricem aquilam veneratur Eous
 14 et Lusitani maris accola, quicquid et ultra
 15 usque sub extremae profertur litora Thules.
 16 Hic vir hic ingentes majorum aequavit honores
 17 atque domi atque foris, si gentem ab origine prima
 18 Aeneadam repetas nomenque per omne recurras
 19 Austriadum, nostro invenies nil Caesare majus.
 20 Vir pietate ingens, observantissimus aequi,
 21 cura Jovis, dilecta Deis pars optima rerum,
 22 cognati ante alios, sed longe maxima Caesar
 23 cura ducis ; modo quo veniunt tres auspice reges
 24 concilio inter se magnis de rebus habendo
 25 unanimes dominumque vocant ipsumque salutant
 26 Augustum ore pio. Non morbus et aegra senectus
 27 quo minus optati nunc Caesaris ora videret,
 28 Pannonium prohibent regem. Non ardua fratrem
 29 quaeque viae, non bella tenent asperrima Moschi
 30 quin veniat, longo et videat post tempore numen
 31 Caesareum. Porro ipse ingens puer indole mira
 32 non dubitat jussu magni genitoris et ipsum
 33 Augustum appellare patrem, tantumque veretur,
 34 omnia caelicolis similem. Dii quantus in ipso est
 35 ante annos animus ? Pueroque in principe virtus
 36 multa viget. Quantum instar habet, quibus emicat actis ?
 37 Felix ante alias age Pannonis Austria terras
 38 Austria dives opum, cui pampineo autumnno
 39 implet agros vestitque uvis Semeleius Euan.
 40 Et laeta arva Ceres flavis opulentat aristis
 41 fecundatque solum cultis et nascitur hortis
 42 flore crocum tenero. Sed enim felicior alta
 43 stirpe virum, quorum imperio ductuque reguntur
 44 res hominum ; placida frueris quod pace, quod omnis
 45 et votis respondet ager, respondet et annus,
 46 quod nunc magnanimo cum Caesare foedera jungunt
 47 reges obstringuntque animos et sanguine mentes
 48 devinctas propiore ligant. Tu haec omnia munus
 49 Principis esse tui, pietas cui summa per orbem
 50 cognomen dedit et numero quem grata Deorum
 51 junxit posteritas numenque in templa vocavit,
 52 credideris. Proin tura deo tu mascula ad aras
 53 sacrificata succende manu, olli dicere grates

54 jamque referre tibi fuerit super omnia curae ;
55 et sancto gratare duci, atque precantia verba
56 junge, simul laetum ante aras paeana canunto
57 insontes scelerum pueri teneraeque puellae.
58 Hunc quondam, Junone favente, atque auspiciis diis
59 Germanas Italasque inter decus heroinas
60 enixa est Itha mater, et ipso a nomine patris
61 indidit egregium Leopoldo nomen. At illa
62 Christicolum accinctis legionibus addita, turmas
63 aeratasque acies inter, praestantibus ausis
64 bello tentandas Solymon comes acris ad arces
65 dum graditur, mediis in milibus ecce ruentem
66 justa in bella, nimis mors, heu crudelis ademit.
67 Illi autem studium pia sacra deosque colendi
68 accrevit puero : templis reparavit honores,
69 induxitque novos delubra in plurima cultus,
70 dona ferens. Vario ornatae stant munere passim
71 araeque effigiesque Deum, fulgentis et auri
72 argentique sacros hic pondera vertit in usus.
73 De hinc ubi concessum regnis succedere avitis,
74 jungitur huic vinclis pia connubialibus Agnes
75 Caesarea de stirpe genusque a sanguine regum.
76 Felix prole pater, bis quattuor inclyta natos
77 femina, bis quinque et natas sacra aedidit alvo,
78 non quales Niobe infelix contendere contra
79 ausa deam, cujus Delos erratica partu
80 ante, modo ad rapidos immota stat insula ventos,
81 sed virtute pares atque haud pietate minores
82 illustri genitore. Ille indefessus ubique
83 instaurare deum socia cum conjuge cultus,
84 templum ingens animo versans tibi maxima virgo
85 nata Palaestino Davidis sanguine regis.
86 Nescius ipse, loco quo conderet, ecce per auras
87 lutea reginae de vertice flammea sacro,
88 mirandum dictu, circum vicina coorti
89 extemplo venti rapiunt in tesqua, nemusque
90 umbriferum. Coelo non illis imber aperto,
91 non hiemes nocuere graves, atque horrida venti
92 tempestas, quae forte locos Leopoldus eosdem
93 integra deveniens nono post repperit anno.
94 Obstupuit visu, mox et mirabile novit
95 ostentum : "Loca nimirum haec, ait, esse putandum est
96 grata deae" templisque hic fundamenta futuris
97 prima locare jubet molirique ardua tecta,
98 imposuitque aras, arisque sacravit honores.
99 Hic ubi caeruleo se Caecius admovet Istro,
100 arvaeque Pannoniis mons Norica dividit agris,
101 dux coluit loca amoena et summo vertice montis
102 arcem habuit, praevastam arcem, non hostibus ullis
103 excissu facilem, atque domum rectoribus aptam ;
104 non longe hinc nova templa, modis quae condita miris
105 sunt divinarum longe ditissima rerum,
106 haec aetas Neoclaustra vocat. Post munia vitae
107 innocuae exactumque annis felicibus aevum,
108 et Leopoldus et ipsa toro fidissima conjux
109 illo rite loco corpus, vitaque soluta

110 condi marmoreo volverunt membra sepulchro.
 111 Ipsi autem caelo illustres, rediere beatas
 112 ad sedes animarum, et summi in tecta tonantis
 113 unde genus duxere, suae et cunabula gentis.
 114 Quos, mihi si dederit plenas in carmina vires
 115 Calliope, si Maeonidae fors alite ducar
 116 ingenii, Andinosque mihi sit tangere fontes
 117 ore sacro, majore Deos post carmine dicam.
 118 Versibus intexam vitas, atque ibo per omne
 119 Austriadum genus atque o partem magne tuorum
 120 Caesar in his aliquam merito cantabo laborum.

IN LAUDEM DIVI MAX. CAES. ET HENRICI VIII. BRITANNIAE REGIS, CARMEN.

Pl_4 v.1 Si qua novas nondum Gallorum patria clades
 2 novit, at ingentes quae non modo patria clades
 3 Gallorum novit, discat quid lenta Deorum
 4 ira potest et lenta potest quid Caesaris ira.
 5 Si qua novos etiam Morini non patria casus
 6 audiit, at miseros Morini quae patria casus
 7 non audisse potest, discat quid possit in armis
 8 Rex juvenis, novus Aeacides, fortissimus heros.
 9 Jam dudum pulsi Italia, et Ticinide Galli
 10 urbe monent ; tum caesa acies et strenua gentis
 11 Helvetiae, atque invicta manus, quid lenta Deorum
 12 ira potest et lenta potest quid Caesaris ira.
 13 Jamdudum Senonum testantur inertia corda,
 14 Vocamagumque monet strages, et moenia nuper
 15 nos excisa docent Morini, quid possit in armis
 16 Rex juvenis, novus Aeacides, fortissimus heros.
 17 Si qua etiam veteres novit modo patria clades
 18 Euganaeae, et Patavi cinctam obsidionibus urbem ;
 19 Aemiliaeque ujam, discat quid lenta Deorum
 20 ira potest, et lenta potest quid Caesaris ira.
 21 Jamdudum ah Venetae clades, et flebilis eheu
 22 cognatae simili fato miserabile Trojae.
 23 Urbs Patavi ruitura, docet quid lenta Deorum
 24 ira potest, et lenta potest quid Caesaris ira.
 25 Si qua etiam bellis habilem non patria dextram
 26 novit, et intrepidum quacumque in proelia pectus
 27 exemplo sciat illa novo, quid possit in armis
 28 Rex juvenis, novus Aeacides, fortissimus heros.
 29 Primus hic intravit socio cum Caesare pugnam,
 30 ultimus exivit socio cum Caesare pugna.
 31 Nempe ea facta docent populos, quid possit in armis
 32 Rex juvenis, novus Aeacides, fortissimus heros.
 33 Dicite quid vobis animi, quae praemia tantis
 34 debentur meritis, musae o mea numina musae
 35 dicite mercedem poscit sibi vivida virtus
 36 magnanimi hinc regis, divini Caesaris illinc.
 37 Ridemus, nil vana potest audacia Calli,
 38 laetamur, tua multa potest industria Caesar.
 39 Fontis aquas pandamus ubi sua proluit ora
 40 Maeonides, ubi Vergilius sua proluit ora
 41 currite felices undae Permessidos undae,

42 jamque sacro Boeotis inundet flumine tellus.
 43 Ora rigate virum, et distendite pectora vatam
 44 oestroque ingenioque, et divite carminis usu.
 45 Dicite Pierii divino carmine vates
 46 Caesaris ardentis pugnas, et pulchra secundo
 47 Marte rudimenta, Morini cum moenia juxta
 48 bellatorem equitem, belli pedes arte repressit.
 49 Dicite Pierii divino carmine vates
 50 flaminiae quantas caedes, quae funera mersit
 51 rhonchus, Barbaricoque infecit sanguine lymphas,
 52 amne virum condens et corpora quadrupedantum.
 53 Dicite Pierii divino carmine vates
 54 exutos regno Gallos, et ditibus arvis
 55 Insubrium ; et juga pertimidos Alpina volantes,
 56 dum nequeunt acrem Helvetium spectare sequentem.
 57 Dicite Pierii divino carmine vates.
 58 Ter congressa phalanx, desertus milite Gallo
 59 ter cecidit, fugere indocilis Germanus in armis,
 60 Gallica sed diro auspicio tum castra secutus.
 61 Dicite Pierii divino carmine vates
 62 Gallia Caesareis subigi, et fatalibus armis
 63 jamdudum assuevit : vicit stipata phalange
 64 externa, deserta externis vincitur armis.
 65 Dicite Pierii vates quid lenta Deorum
 66 ira potest, et lenta potest quid Caesaris ira.
 67 Seraque posteritas videat quid possit in armis
 68 Rex juvenis, novus Aeacides, fortissimus heros.

DE REDITU AUGUSTISS. CAES. IMPERATORIS CAROLI V IN GERMANIA,
 LUSUS POETICUS.

P1_5 v.1 Reddidit Hesperio quae nuper ab orbe profectum
 2 litoribus regem patriis, longaeque remotis
 3 sedibus applicuit, tot jam freta vasta remensum
 4 digna ratis caelo, et decoranda salubribus astris.
 5 Quam volitantem undis nuper, fluctusque secantem
 6 desuper obstupuit mirata Tomarias Argo,
 7 ac puppi cessura novae ; candentia vela
 8 et liquido exsertos contraxit in aethere remos,
 9 vix sibi nunc laudi ductura, quod Aesone natum
 10 crudelis jussu patrii, et cretum Jove summo
 11 Alciden, et Thessalica cum pube vocatum
 12 jam grandem patriis e montibus Orphea natu,
 13 Euxini statuit properans ad inhospita ponti
 14 litora, nam quos non fluvios emensa ? Repostos
 15 Europaeque Asiaeque sinus. Quin ipsa repente
 16 Caesareae inclinat puppi, et nunc contrahit ultro
 17 transtraque carbasaque et validos liquido aere remos.
 18 Mirantur vicina modo et condensius astra
 19 stant caelo, navem tractu exceptura beatam
 20 aethereo. Auratum nunc ense angustat Orion
 21 et brevior micans spatio venabula gestat,
 22 genuaque curvatosque pedes, et brachia dudum
 23 artat, et ipse ingens Centaurus in aere corpus
 24 colligit, exigua jam parte coercitus aethrae,

25 ipse etiam Arcitenens, et sidere clarus amico
 26 Jupiter ex alto qui semper Iberida terram
 27 adspiciunt, quosque hic Leda genetrice creavit
 28 Oeбалidae, quo tum sulcantem caerula vultu
 29 adspexere, pari socia inter et alta capessunt
 30 sidera nunc caeloque beant Hispanida navem.
 31 Egressus magni cui se de litore portus
 32 Rex juvenis praesenti animo, et bene fortibus ausis
 33 credidit, et vastos superavit numine fluctus
 34 litora curva legens quae Cantaber accolit acer,
 35 et qua Santonicum fremit aequor ; et ardua Tethys
 36 caeruleos, gremio cingens undante, Britannos
 37 aestuat, hinc leni tetigit navalia vento
 38 nota Gasoriaci, tandem et patria arva revisit
 39 et dites Belgarum urbes, uberrima regna
 40 Carolus Austriades, cujus Germania paret
 41 arbitriis, sceptro et juvenem decoravit avito.
 42 Qua Rhenus varias diffusior alluit urbes
 43 et gentes lavit indociles juga ferre, virumque
 44 imperium externum, et peregrina capessere jussa.
 45 Quaque ruens late secatur arva binominis Ister.
 46 Quin etiam hunc ultro triplex Hispania regem
 47 Numinis instar habet, cultrix Hispania regum
 48 fida suorum, et non alienae obnoxia dextrae.
 49 Gadibus hic etiam extremis, et litora supra
 50 aequoris Herculei Lybies dominatur in oris.
 51 Et Baleare fretum, Sar道家que litora late
 52 porrecta, et Siculas urbes, terrisque revulsam
 53 Trinacriam Italiae, nec non rura Appula, claram
 54 Parthenopen placida servat dicione, suisque
 55 imperiis regit ; atque altae sibi debita Romae
 56 moenia, et Ausonias invisit Carolus urbes.
 57 Tantum illum et magnis leges et jussa ferentem
 58 regibus incolumem nobis per caerula navis
 59 vexit, et ad patrii firmavit litoris oras.
 60 Quam Nymphae undarum genus Oceanea proles
 61 et placidae certatim aerae, Zephyritides aerae
 62 sublimem manibus, ventique volucris alis
 63 jam caelo insertant, vastumque per aera ducunt.
 64 Quam pater ipse Deum stellis radiantibus ornat
 65 aeternisque dehinc jubet ignibus interstinctam
 66 esse decus caeli, et toto elucescere mundo ;
 67 praesidiumque ingens mortalibus addidit aegris
 68 commissis pelago, et remis verrentibus aequor.

DE D. MAXIMILIANI CAESARIS OBITU EPICEDION, CEU NAENIA ANNIVERSARIA.

P1_6 v.1 Caesareos etiam manes haec annua dudum
 2 sacra decent atroque dies haec prodita luctu
 3 justitium populis totum exsequiale per orbem
 4 indicit, nigro reges velantur amictu,
 5 et templis resonet lugubri naenia cantu.
 6 Maximus ille autem ante alios in tristia rumpat
 7 verba nepos, tumulum et lacrimis aspergat inanem
 8 qui duplicis regna Hesperiae, quique arva bicorni

9 Rheno, Teutonicoque coercita possidet Istro,
10 imperat et late maribus, longeque subactis
11 imperiis populorum ; et qui dicione tot unus
12 terrarum potitur juvenis, successor avorum.
13 Non illis etiam regnorum segnior auctor,
14 ipse iterum manes iterumque observat amicos,
15 dona novumque pio ritu largitus honorem
16 haec olli funesta dies sua gaudia turbat
17 et tacitum luctu pectus contristat amaro
18 annua dum fert justa patri, dum maestus avitis
19 manibus inferias mittit, cinerique jacentum
20 munus, et haec vita functis solacia praestat.
21 Quantus ohe Augusto juveni praecordia maeror
22 alta subit, dum picturas aspectat inanes,
23 et simulacra videt vera effigiesque suorum.
24 Illic magnanimi genitoris, et ora supremi
25 cernit avi, illiusque dolet juvenilibus annis
26 rupta virescentis fatalia stamina vitae.
27 Atque hujus queritur sanctis obsistere curis
28 importunum obitum, meditataque proelia dudum
29 belligeros in Thracas, et aspera nomina Turcas
30 non potuisse geri, dextra auspiciisque parentis.
31 Ipse et avo et magno patri, si fata sinebant,
32 se belli socium et casus juncturus in omnes.
33 Nunc unum hoc terris lectum caput, omnia et uni
34 credita magnorum imperia, et sola subdita regum.
35 Hac etiam laude aetherea in sublime parentum
36 sede receptorum, et magnarum ex ordine rerum
37 auspiciis majorem animis caelestibus addit
38 Laetitiam, tangitque viros ea gloria summos
39 inter caelicolas, ipsa inter numina divum.
40 Credo equidem, nec certa fidem sententia fallit.
41 Cessit uterque hominum vita securius olim,
42 gnarus subjecti cui sceptrum relinqueret orbis,
43 et genuisse suo tantum de sanguine regem
44 orbem qui tenet imperiis. Satis esse vel unum
45 hoc poterat, sibi quo genus obvinciret uterque
46 humanum, et quicquid tota est habitabile terra.
47 His lacrimas tenerae neptes, ipsique nepotes
48 nunc et avis libant, et magno filia patri
49 et fratri soror. Ingenti domus Austria questu
50 omnis agit turbata ; pias suspiria flentum
51 impediunt voces, et verba precantia tardant.
52 Annua Caesareos juvet haec quoque naenia Manes.
53 Hunc sol aethereo flevit vagus orbe suumque
54 occuluit caput, et terras tenebravit opaca
55 nocte, die in medio : geminorum sidere duro
56 maestus iter faciens, fatum et portendit iniquum
57 regnorum domino. Cecidit pars optima terrae
58 egregius Caesar factus pars optima caeli.
59 Annua Caesareos juvet haec quoque naenia Manes.
60 Heu quantum amici celebris Germania regem.
61 Ille velut mitis genitor regnaverat, omni
62 indulgens populo, et pacem tibi rettulit altam
63 in sua finitimos traxit cum foedera Reges.
64 Saepe sinu in medio surgentia bella tuorum

65 arva relegavit pacator ad extera Caesar.
 66 Annua Caesareos juvet haec quoque naenia Manes.
 67 Hic tibi qui terram imperio et maria alta gubernent
 68 concordēs animis fratres, sua pignora liquit.
 69 O non degenerum liquido testantia patres
 70 pectora natorum, quales sibi Jupiter optet
 71 nasci iterum magna ex Leda ; licet acer equum dux
 72 Castor amet nimium Pollucem Castora Pollux.
 73 Annua Caesareos juvet haec quoque naenia Manes.
 74 Nunc deserta suum fleat, o Germania, regem
 75 orba, patrem fleat incessabile maximus orbis.
 76 Dignus in aeternas cui solvant ora querelas
 77 quotquot ubique homines Caesar pius. Illius ergo
 78 manet inexhausto lacrimarum flumine tellus,
 79 turgeat Oceanus, liquidum secet aera clamor.
 80 Annua Caesareos juvet haec quoque naenia Manes.
 81 Et quoties annos aperit per tempora Janus
 82 insignis gemino vultu, cum lampada solis
 83 accipit Hydrochous, magno funesta sit orbi
 84 ista, sit atra dies. Hoc saucia vulnere tantum
 85 Austria funerea tumulum face lustret, et acrem
 86 integret luctum, hoc umbrae decorentur, et ipsos
 87 annua Caesareos juvet haec quoque naenia Manes.

SYLVARUM LIBER II.

IN INCLYTUM REGEM SIGISMUNDUM POLONIAE, OB MOSCHOS DEBELLATOS,
EPINICION.

P2_1 v.1 Serior Ausonias, sed grata perambulat urbes
 2 fama, Sigismundum Scythiae fudisse secundo
 3 Marte vagas acies, inconditaque agmina late
 4 gentis Hyperboreae. Miseræ quæ prodiga vitae
 5 excidium nostris ferale penatibus ausa
 6 intentare, ruit, violentia grandine campis
 7 densior, Ioniis et fluctibus acrior instat ;
 8 sive habiles immittit equos, seu praepete cursu
 9 victricis memor illa fugae secum omnia raptat
 10 partaque divitiasque virum captivaque longo
 11 corpora fune trahit durisque laboribus urget
 12 gentis inexhaustae illuvies ; quæ victa resumit
 13 vimque animumque, magis Lernaefecundior Hydra.
 14 Hanc iterum indomitam, duro certamine gentem
 15 reppulit, invictae, patriis a finibus, ingens
 16 Sarmatiae princeps, divina a stirpe sacrati
 17 Caesaris, Augusta domo prognatus avorum.
 18 Roma triumphatis nimium est haec ducere Belgis
 19 festaque, laetitiamque. Duci nunc talia nostro
 20 debentur, si vera fides et sanctio quondam

21 imperii. Miserum est eheu crudelibus eheu
22 nostra etiam dextris in viscera condere ferrum.
23 Quid te Alpina juvat frameis Germane tremendis
24 frangere Gesa. Nefas esto Romana subinde
25 pila suis etiam contraria surgere pilis
26 jamque Antenoreas arces, et divitis urbes
27 Euganiae, Julique forum, et Benacida terram
28 devastare. Suis labuntur viribus eheu
29 invictae prius Europae, miserabile, gentes
30 dum ferus evicto Thracum regnator ab Istro
31 surgit et hostili vicinas agmine terras
32 nunc premit inflammatque urbes et pingua vastat
33 culta, profanatis spoliaturque sacraria templis
34 Pannoniasque evellit opes ; dum perfidus ille
35 parte alia oppositos extrema Sarmatiae ora
36 Threicio petit hostis equo. Dii quantus in armis
37 quantus utrimque ruit ? Quae non incendia captis
38 urbibus, aut quae non devictis horrida nobis
39 supplicia ille parat ? Nos primo nostra furori
40 objicimus miseri et praesenti corpora leto.
41 Dii servate pios fratres, duo maxima nostri
42 imperii, et vestrae duo propugnacula gentis
43 incepto in magno et dubii discrimine belli.
44 Dique hominesque velint, tandem succurrere fessis
45 regibus, et belli meliorem sumere partem
46 inter se positis armis si foedera jungent.
47 Hunc tibi, namque tuus certe est, hunc sume laborem
48 dive Leo. Atque tui sunt muneris ista, repente.
49 Cognatos servare duces mitissime Caesar.
50 Vestra salus regum firmata salute duorum est.
51 Ite, date auxilium, ferte arma, intendite ferrum.
52 Vos tamen interea memores pietatis, avitique
53 imperii, et longae memores per saecula famae
54 diis, precor, auspiciis victricis pellite dextra
55 arma focus carisque penetibus atque deorum
56 a templis, totaque hostem discludite terra
57 alternis freti auxiliis. Tuque alite dextra
58 tu prior arte veni bellorum, ac viribus aevi.
59 O numquam dubia solitus decernere palma,
60 o numquam frustate tuis rex inclyte votis,
61 certa deum atque hominum tutela, potentibus actis
62 Alcida melior, quem semper amica tuetur
63 praepetibus circum volitans victoria pennis.
64 Qui spolia ampla tholis jam deficientibus addis
65 accumulasque deum variis altaria donis.
66 Hastisque clipeisque cavis, et acinace curvo.
67 Ah nimium fraterna repens ad regna vocatus
68 centum dum regeres placida dux pace Silesi
69 oppida, te ereptum nymphae Guttallides, amne
70 lugent in medio, nymphae te Bobrides, unum
71 absentem deflentque vocantque. Ipse arduus altum
72 demittens caput, umbrifera et pineta Silesus
73 flet secum ingeminatque tuum cum murmure nomen
74 infelix. Sed avita tuam deserta petebant
75 sceptrum manum, vicit majoris gloria regni,
76 et patriae labentis amor, studiumque tuendae.

77 Illa tibi divum magnos decernit honores
 78 aucta tuis etiam, ne dum servata tot annos,
 79 viribus, esse deum rata, vel te sanguine divum
 80 progenitum ; immotamque superstans regia molem
 81 tot gravida imperiis, et sanguine prodita regum
 82 et caelo caput inserere et fastigia gestit
 83 summa per immensum duce te protendere mundum.
 84 Quin et arenoso juxta qui labitur alveo
 85 Istula, caeruleo nomen cui Tibride mundo
 86 cognitius fluit, hic simili per regna verendus
 87 imperio, vastoque intrat mare Baltheon amne.
 88 Et tua cum sancto nuper miranda senatu
 89 acta recenseret graviter, tamen ore modesto
 90 Lascius hunc quantum Mavortia gesta loquentem
 91 purpurei stupuere patres. Leo summus, et alto
 92 laetitiam pater a solio confessus, amico
 93 ore, virum plena de te non pauca corona
 94 rettulit ; et primos regum gaudebat honores
 95 deferri officiis a te sibi rite paratis.
 96 Tantum externa movet virtus tua pectora nuper
 97 exaudita patrum, tu strenua facta tuorum
 98 exsuperas, illisque haud adversantibus anteis.
 99 I, felix et sterne viros, et noxia frange
 100 tela, catenatum vexesque laboribus hostem.
 101 Atque haec nostra videns miratrix efferat aetas
 102 seraque te memoret, neque non desideret unum
 103 posteritas. Sacri certatim carmine vates
 104 istud inexpletum deducunt nomen ad aevum.
 105 Donec in immenso nobis Hyperionis ignes
 106 orbe ministrabunt lumen, dum flumina Tethys
 107 excipiet terramque undis dum claudet amaris
 108 vivet honos interque volans haec fama minores
 109 indefessa tuo replebit nomine terras.

THURSEIDOS PRAELUDIUM

P2_2 v.1 Aoniae dux summe lyrae, dux optime vatum
 2 Phoebe pater, seu tu mavis crinite vocari
 3 Cynthius, aut quicumque orbis te magnus honorat
 4 nominibus, terra et toto bene cognite caelo,
 5 qui magnum illustras aeterno lumine mundum
 6 nec minus heroum divino carmine nomen
 7 extendis caeloque beas, tantumque minores
 8 te facis, et vix supremo non laudibus aequas
 9 Aegiocho. Per te verae sunt omnia laudi
 10 promeritis. Sic post discrimina plurima rerum
 11 Alcidae caelum invita Junone dedisti
 12 aerumnarum operis ; nec non candentibus astris
 13 opplesti mundum, veterum monumenta laborum
 14 insertans orbi aethereo. Sic munera Bacchi
 15 aurea Gnosiacae radiant sine fine coronae.
 16 Denique nil toto celebre est et fulget Olympo
 17 quod non sit Phoebi decoratum munere sidus.
 18 Quinetiam tota nihil est memorabile terra
 19 per gentes hominum divino carmine quod non

20 plena tui vatum donant praecordia vita,
 21 aeterna vita, et carituro nomine mortis
 22 insidiis. Adeo nullum sine numine nomen
 23 surgit Apollineo. Tacitis consumitur annis
 24 mortalis quodcumque manus molitur, et audet.
 25 Namque ubi Pyramides, atque ardua Mausolei
 26 saxa jacent Phrygiae Neptunia moenia Trojae ?
 27 Atque quotam laceratae partes est nunc cernere Romae ?
 28 Omnia corrumpunt anni. Tantummodo vatum
 29 durat opus, seramque ignorant carmina mortem,
 30 carmina sub valle Aonia quae dictat Apollo,
 31 quae fidibus texens variis Polyhymnia cantat.
 32 Adsis, o Tymbraee pater, te digna canenti
 33 eia adsis et sponte fave. Fluat auspice Phoebos
 34 noster et aeternum maneat labor. O mihi si nunc
 35 proxima Vergilio liceat cantare. Mihi opto
 36 Andiadum facilis se nympharum offerat una.
 37 Dicere Thurzonum deducto carmine nomen
 38 fert animus. Juvat haec operi praeludere magno
 39 divino exemplo Iliados, quod nostra movebit
 40 Calliope, cum olim undabit mihi plenior amnis
 41 Pieridum, magnorum agitans in pectora vatum
 42 numen, et aethereo mentem qui suscitatur igni.
 43 Jam vero quae prima mihi, quae extrema canantur
 44 aut media, ancipiti versatur mens anxiosa cura.
 45 Ac veluti Hercyniae nemora in densissima silvae
 46 pastor iens, cervicem onerat violenta bipennis
 47 miratur dubiusque oculis circum omnia lustrat
 48 milibus e multis quod primum incidere robur
 49 ipse velit, quam sternere humi crebro eligat ictu
 50 coniferam aut pinum, aut Jovialem a stipite quercum.
 51 Haud aliter trahit ambiguum me plurima laudum
 52 copia, longa acies et inenarrabilis ordo
 53 factorum bene, quis caelo se reddere dignos
 54 Thurzones potuere. Et quod potuere beati
 55 prorsus reddiderunt caelo se, credite, dignos.
 56 Felicem eximia ac numerosa prole parentem,
 57 o fortunati sobolem patris, incluta porro
 58 ac pia Thurzones divum ad commercia nati,
 59 vera quibus semper cordi bona, semper inhaeret
 60 vivendi recte studium, tenor unus, et usque
 61 una boni series, acrisque inimica malo mens.
 62 O dignum canis patris caput, unde supremo
 63 ni Jove nata foret, nasci Tritonia vellet.
 64 O non degenerum liquido testantia patrem
 65 pectora natorum, quales sibi Jupiter optet
 66 nasci iterum magna ex Leda, licet acer equum dux
 67 Castor amet nimium Pollucem, Castora Pollux.
 68 Eduntur fortes forti patre. Sic animosos
 69 educat in silvis catulos leo : cuncta paventes
 70 hinnulei pavidarum exsiccant ubera matrum.
 71 Ipse pater dum vita fuit, reverenter habebat
 72 fortunae ingentes dotes, moderatius illis
 73 usus, ad aeternos divum attulit omnia cultus
 74 servavitque Numae pectus. Pietatis et aequi
 75 curatorem animum non Lydi opulentia Croesi

76 fregit, nec blando Fortuna emolliit ore.
77 Ille mali contemptor et implacabilis osor
78 integra vitae numquam deliquit amussi.
79 Huic ego praeteritos, sinerent si fata, referre
80 crediderim voluisse dies pia numina divum.
81 Quamquam siderea illustrem post funera grati
82 sede receperunt, suaque inter numina numen
83 unanimes legere novum, satur Ambrosia vir
84 aut caelo, aut magno Elysio nova gaudia carpit.
85 Summa tamen divum nobisque affecta potestas
86 non oblita hominum, cui sunt mortalia curae
87 tot natos superesse dedit, tot vivere natas
88 multa patri similes, nullaque in parte minores.
89 Quam referunt genitorem oculis, tam moribus aequant.
90 Terque quaterque pater felix, cui contigit uni
91 pontifices vidisse duos, sua pignora magno
92 in populo, veste aurata, lituumque ferentes
93 sacra deum manibus puris ostendere, quorum
94 alter erat primus, natuque novissimus alter.
95 Namque Silesiacis Joannes praesidet oris
96 sacrificus. Quicumque estis quorum infula frontem
97 ambit, et in populis summi Jovis ora refertis
98 parcite, dicturo verum, quippe omnibus anteit
99 insigni pietate ac purae tramite vitae
100 innocuo ; positis post summa negotia curis
101 utitur ingenuae studiosus Apolline dextro
102 et castas tetrica miscet cum Pallade musas.
103 Nec decus eloquii, nec tersae gloria linguae
104 deficit, seu dictis orator pectora flectit,
105 seu mentes hominum cultissima littera mulcet.
106 Quaeque est principibus virtus vel maxima, sanctis
107 largitur melius nemo, atque uberrima dona
108 confert, sed meritis tantum, sed munere dignis.
109 Imprimis sapiens se ante omnia nosse laborat.
110 Hos equidem atque alios mores in principe raros
111 una omnes miremur, et omni laude feramus
112 possedis virum. Nec vero segnior alter
113 inferiorque illo est frater, qui praesidet oris
114 qua Moravus tacito proserpit leniter alveo
115 piscifer, unde solo nomen manavit opimo.
116 Hic sit opus majore lyra, atque ingentibus orsis
117 si memorare velim tanto te praesule digna.
118 Ohe sed nostrae non est opis, et sibi poscunt
119 altius ingenium tituli nomenque benignum.
120 Stanislave, meis conatibus amplior exstas.
121 Non mihi si sint ora decem percurrere possim
122 qua pietate deos, queis denique sumptibus ornes,
123 quaeque ruinosis instauras numina templis ;
124 quoque pios animo mitis complectere vates
125 adjutasque bonos, prodesse merentibus unum
126 praecipuumque ratus. Jam tanti est vivere recte :
127 hoc est et coluisse bonum justumque piuumque.
128 O vos, o vestrae clarissima lumina gentis
129 o et summa boni populis exempla futuri
130 pontifices fratresque duo. Licet ista referre
131 vera jubente deo, quorum me candida virtus

132 admonet, et vestrae ratio sanctissima vitae.
 133 Estis io cordi diis immortalibus aequae.
 134 Aequae respiciunt puras caelestia mentes
 135 numina, et ipse deum justo omnia Jupiter auctor
 136 lumine contemplatur. Habet sua praemia virtus
 137 atque bonum atque pium. Vos et pulcherrima merces
 138 ornat in humanis caeloque aeterna manebit.
 139 O bene commissum agnorum pastoribus istis
 140 tam purum nitidumque gregem. Custodibus istis
 141 nec quicquam integro lupus insidiatur ovili.
 142 Undique praeterea vestro stat munere cultus
 143 amplior et crebrescit honos divum omnibus aris.
 144 O dulces animae nostrae solacia vitae
 145 praesidiumque ingens. Solida haec jam gloria vestra est
 146 quod studiis suis exstat honos, quod praemia doctis
 147 eveniunt, digna et ratio virtutis habetur.
 148 Nunc Moravus mixtis Boeotidos affluit undis
 149 caeruleumque Oderae Phocis contemperat amnem.
 150 Personat arctoo melior sub sidere Phoebus
 151 alliciens doctas nova secum in templa sorores.
 152 Ipse deo statuum viridanti in gramine ripae
 153 seu mage piniferi placeant juga summa Silesi
 154 qualia vix Parnassus habet surgentia templa
 155 proxima quin etiam vobis auctoribus addam.
 156 Ipse sibi dictam non dedignabitur aedem
 157 Thymbraeus fidicen, vos et dignabitur ista
 158 laude, videns proprio coli nova numina templo.
 159 Ipse etiam viridi nemorosi montis in antro
 160 promissum meditabor opus Thurzeida vobis.
 161 Illic progenies referam longo ordine vestras.
 162 Primus avos atavosque canam, et benefacta parentis
 163 versibus intexam ; quin et majore camena
 164 ordiar ac vestras tentabo carmine laudes,
 165 insignem et patriam, vobis ante omnia natis.
 166 Haec tum promeritis ultro dabo, cum mihi laeto
 167 successu, spatium praedulcis suppetet otii
 168 nunc alias vocor ad curas. Premit acris egestas,
 169 hortaturque sequi vesana negotia vulgi,
 170 sollicitumque aulis adigit consuescere regum.
 171 Hoc ego nunc quarto saxum volvo impiger anno
 172 ceu Danaï aeterni proles damnata laboris
 173 Aonios latices pertusa in dolia fundens.
 174 Haec nobis conflavit Ate dispendia, et angit
 175 tristis Ate, pedibusque litas praevortit inertes
 176 dira ferens secum praepes mala, semper acutum
 177 semper acerba tuens. At enim quae tollere non est
 178 nec vitare potest, aequa ferat omnia mente
 179 vita hominum, manibus fati subjecta severi.

AD STANISLAUM THURSONEM DE OBITU FRATRIS CONSOLATIO.

P2_3 v.1 Parce tuos nimium lacrimarum aspergine vultus
 2 atque pios turbare oculos : sapienter amaris
 3 fletibus adde modum, funebres exue tandem
 4 vestes, et redeat placido sua gratia mento,

5 oraque desecta fulgescant levia barba.
6 Hactenus indultum lacrimis, et questibus aegris
7 fraternoque datum cineri satis. Optime praeses,
8 manibus ista quidem dilectis addita sunt
9 munera, supremumque vale, et quas rite parasti
10 exsequias. Non ulla etiam suspiria fratrum
11 illius oblectant umbram : quin ipsa doleret
12 te graviore premi luctu et tabescere inani
13 maestitia. Satis huic, si tales perpete ritu
14 una dies renovet post annua tempora questus.
15 Haud aliud pietas fraternaque gratia poscunt.
16 Has non Persephone petat illacrimabilis, et non
17 ipsa velit Libitina acres audire querelas.
18 Has etiam nolit diri implacabilis Orci
19 rector, et infernus posset miserescere Pluton.
20 Non omnis tanto defles quem tempore, frater
21 occubuit : pars multa viri, meliorque superstes
22 vivit adhuc. Nullis fatorum obnoxia virtus
23 legibus et terra condi nequit, alta capessit
24 sidera, et aethereos tangit modo vertice tractus,
25 jam secura necis victrixque inamabilis Orci.
26 Dum pius aeternos superis instaurat honores
27 et diversa locat miro delubra paratu
28 sanctaque magnificis donaria sumptibus ornat
29 se dignum fecitque deo caeloque beavit,
30 dum sacras colit Aonidas, et numen Agyei
31 et celer adsequitur facundae munera linguae
32 Pierique satur laticis, palmaria servat
33 inter Apollinei clarissima nomina coetus ;
34 vatibus adscribitque decus nomenque secundum
35 caelicolas, largitus opes et munera doctis.
36 Idem Maecenas, idem Maro. Saecula vicit
37 Augusti, memorata omni tot gentibus aevo.
38 Non hunc divini libris abolebit Erasmi
39 ulla dies, dum caeruleus Germanica Rhenus
40 arva pererrabit fluviorum maximus. Undas
41 Ister ad Euxini dum volvet inhospita Ponti
42 litora, Thurzonum stabit decus. Et mea si quid
43 musa potest, vestro nonnulla accrescet honori
44 fama : meo vestrum celebratum carmine nomen
45 notius exstabit populis. Sin noster Apollo
46 exiguos dabit, et vestra virtute minores
47 extundet versus deductaque carmina, grati
48 sint vobis nostrae conatus oro Thaliae.
49 Ut vires opere in magno et sublimibus actis
50 defuerint, gravium succumbens pondere rerum.
51 Grata deo mens est, et non despecta voluntas.
52 Ipse equidem video, o rerum dignissime, quantum
53 emineat cunctis virtus tua, singula vates
54 optant acta suos, quales sed Achaica tellus
55 et Phocis laudata tulit, plenoque theatro
56 quales Romulidae quondam audivere Quirites.
57 Non ego vel partem laudum cantare tuarum
58 quamlibet exiguam musis tam vilibus ausim,
59 ni tua nos moneant benefacta reponere gratas
60 Stanislæ vices, ne prorsus inutile ducas

61 quodcumque Ursino virtus tua commodat. Omne
 62 hic prius in vitium labetur et omnia solus
 63 tentabit, quam sit passurus, ut immemor olim
 64 muneris accepti, grati se nomine reddat
 65 indignum quo non madidis invisius ullum
 66 Persis crimen erat, nec genti noxia pejor.
 67 Te pectus sapiens, et candor, et aurea vitae
 68 norma tuae atque boni semper studia optima veri
 69 irreprehensa operum ratio, et bene cognita dando
 70 opportuna manus, priscis heroibus aequant
 71 et faciunt ut te praesens viventibus aetas
 72 anteferat : meritum jam sancta vocarier inter
 73 numina caelicolasque pios, cui demus honorem
 74 praesenti caelum divis habitantibus aequum.
 75 Non te, non expers caedis labor, aut Erymanthi
 76 purgatum nemus et jaculis Stymphalides actae
 77 non et fecundae capita exsuperantia Lernaee
 78 sanguineaeque manus et sparsa cruore nocentum
 79 membra virum toties extinctarumque ferarum
 80 constituunt caelo dignum, sed candida virtus
 81 et recti studium, sed mens non conscia pravi
 82 perpetuusque tenor sanctae et ratio optima vitae,
 83 non belli sed pacis opus, non ira furorque
 84 immitis, faciles leni sed pectore, mores
 85 te propius junxere deo, caeloque bearunt
 86 et non populea cinctum caput, aut Joviali
 87 fronde, sed ipsa decens auro gemmisque Tiara
 88 nec non paciferae tua tempora ramus olivae
 89 Sacra tegit. Non horrenti circumdata squallent
 90 exuvio, taboque madent conspersa Leonis
 91 membra ; sed in niveo fulges trabeatus amictu.
 92 Nec tibi vasta manus nodosae robora clavae
 93 letiferaeque onerant liventia terga sagittae
 94 sed lituo pacem populo promittis amatam
 95 designante manu, obscuris non abditus antris,
 96 non vasto in nemore aut inter spelaea ferarum,
 97 horribilesque domos silvarum et in hospita lustra.
 98 Ante aras, faciemque dei, populumque frequentem
 99 sacra manu tractas. Superis et debita castus
 100 dona ferens, manifesta bonis exempla subinde
 101 monstras et rectae genus amplexabile vitae.
 102 His melius certo grassaris ad aethera passu
 103 evasura hominem numenque futurus amicum
 104 cantandum magnis studio praestante camenis
 105 aeternum, atque omni venerabile gentibus aevo.

AD DUCEM JOACHIMUM SLESIAE PARAENESIS.

P2_4 v.1 Stant duo sidereae primo sub limine portae,
 2 dux Joachime, cadi : calcantes omnia summi
 3 stant Jovis ante pedes laeva dextraque locati.
 4 Hic minor, ille ingens et ventre capacior amplo.
 5 Alterius magna dispendia semper ab alvo
 6 atque mala, atque acri fluitant in pectora luctus,
 7 sollicitusque labor, miseraeque pericula vitae,

8 innumero curarum et inundant flumine mentes.
9 Juppiter unde aegris laeva mortalibus implet
10 pocula maesta, fluit late illaetabilis humor.
11 Alterius tenui felicia munera rivo
12 paulatim labuntur, adoptatumque liquorem
13 porrigit, et paucis miscet deus. Unde laborum
14 plus homini aerumnaeque datum. Sed copia dulcis
15 rara boni et dextra vitae jucundus avara
16 usus, opumque latex angusto tramite manant.
17 Mascula sed virtus, et ineluctabilis ardor
18 aut tolerando omnes novit perferre labores,
19 aut didicit magno Fortunam evincere nisu.
20 Quare si qua tuis fuerit contraria factis
21 aura deae, et primo nolit Rhamnusia vultu
22 aspirare tibi, ne tu, ne cede malignis
23 casibus, aut victam Fortunae porrige dextram.
24 Sed contra obniti, dux o generose, memento.
25 Discute vim decimi praesenti pectore fluctus.
26 Ipse sit exemplo genitor tibi, magnus ad omnes
27 qui patiens casus, gravia et discrimina rerum
28 incedit summis par regibus, omnia novit
29 quaeque duces deceant primos, quaeque optima factu
30 aeternam statuunt famam, generique deorum
31 vos jungunt, caeloque beant, dum perpete cura
32 et prodesse cupit et recto praemia figit.
33 Sedulus egregiae cultor virtutis, honesti
34 quem penes, atque ardens niveae custodia famae.
35 Hunc perspecta fides ceptoque immobile pectus
36 aequalem summis nulli statuere secundum.
37 Non ipsi Laertiadae tot casibus acto
38 per terras pelagusque ingens, quem pectoris astu
39 Grajugenis praefert heroibus, et sociat diis
40 Maeonides, Siculo quamvis animosus in antro
41 ingens ambusto terebravit robore lumen
42 Cyclopi Polyphemi, et Circes pocula fugit
43 callidus, inque feras, quos ante venefica duxit
44 Ipse sua humanam in faciem virtute redegit
45 mutatos virga socios ; licet impiger heros
46 Scyllaeam evasit rabiem et Neptunia monstra
47 irasque insidiasque dei, non dispare fato
48 aut animo levio vir hic, neque setius audet
49 tot contra adversos casus luctarier unus.
50 Quem non vexatae movere pericula vitae
51 non toties Fortuna ejus contraria votis,
52 fataque, praedurique adeo contundere casus
53 magnanimum potuere. Velut qui gurgite vasto
54 naufragus impavido discussit pectore fluctus,
55 usque salutari motans sua brachia nisu
56 omnia tectus aquis, ipso vix vertice supra est,
57 impiger optatam tandem contingit arenam
58 litoribus ; gaudet jam tum securus aquarum,
59 vicinique memor laeti atras aspicit undas.
60 Hujus facta viri et tanti memoranda parentis
61 dux animi non degeneris, non immemor horum,
62 cura sit egregiosque sequi virtute labores.
63 Tu regum soboles, juvenis dignissime, regum

64 nomen, et aeternum vives sortitus honorem,
 65 ipso non genitore minor, cum cetera quondam
 66 par fueris tanto. Tum quae non contigit ille
 67 praemia militiae, et dux classica dira secutus
 68 vinces Ausoniae studiis exercite linguae
 69 et satur Aonii laticis, Parnassida laurum
 70 nobile gestabis circum caput et tibi lecto
 71 aurea Pontifici sacrum teget infula crinem
 72 diceris patriae cunctis pater : et tibi vovi
 73 ipse deum ritu populus decernet honores.

AD JESUM SERVATOREM, AC MATREM VIRGINEM, ET BAPTISTAM PRECATIO.

P2_5 v.1 Sancta quibus caelo cessit suprema potestas
 2 numina, summe deum atque hominem regnator Iesu
 3 tuque parens et virgo eadem, tuque optime divum
 4 quo nihil humana majus processit ab alvo
 5 agnifer, atque uno tantum minor aedite Christo.
 6 O vos res hominum praesentibus undique prompti
 7 auxiliis servare, aegram et miserescere vitam.
 8 Nam vobis cordi pietas et gratia rerum
 9 nec non vestra preces demulcent pectora nostrae.
 10 Per quicquid vobis nostrum in genus exstat amoris,
 11 per quoscumque homines iisdem largimur honores
 12 si mea vos pietas, necnon donaria tangunt
 13 exigua, accipite haec faciles et mentibus aequis
 14 muneraque assiduasque preces, et nostra benigne
 15 vota secundate, incolumis vos oro senectae
 16 tempora, praecipue et non tristibus obruta curis
 17 imperturbatae sincera noemata mentis.
 18 Et servate larem et teneant mediocria quaeso,
 19 latae perpetuum fortunae munera cursum.
 20 Exaudite pii quocumque precantia casu
 21 verba, sed et vestras sic usque litetur ad aras
 22 dehinc vestrum intuear post vitae munia numen
 23 cum sociis niveisque animis, et caelite turba.
 24 Omnia qua sunt laeta piis caeloque receptis,

AD JANUM ZVOLAM MORAVUM PARACLESIS PRO AEDENDO LIBRO,
 QUI INSCRIBITUR 'MICROCOSMUS'.

P2_6 v.1 Ergone perpetuis tam pagina docta latebris
 2 luce carens, manibusque hominum subtracta jacebit
 3 jamdudum apposita placitura coronide multis ?
 4 Ergo ne naturae ac rerum doctissime, summas
 5 qui sophiae scrutaris opes, tu promere tantum,
 6 Jane, librum cessas, hominis quo nota sibi mens
 7 perlegat immenso similem se denique mundo ?
 8 Prodeat iste liber, fluvium qui propter amoenum
 9 conditus aeternis decorabit honoribus Albim.
 10 Albi pater, jam quem miremur Phocidos amni
 11 Romuleoque nihil posthac concedere Tibri
 12 laetum fonte caput muscosoque erige ab antro
 13 et placido applaude undarum nunc verbere ripis

14 te major toto fluitas, qui notior orbe ;
 15 quem gremio diffusa suo Germanica Doris
 16 nunc Rheni vasto non excipit amne minorem.
 17 At famae egregiae ac tanti tibi nominis ille
 18 auctor erit mundi, jam qui mirabile textum
 19 et causam humanae describit originis, ipsi
 20 nos caelo referens divinaeque adserit aerae.
 21 Tu modo Socraticis non inferiora libellis
 22 scriptaque divino non inficianda Platoni
 23 commendata meo festines edere Thurzo
 24 Thurzo, qui nostras aliquid putat esse camenas
 25 summus Palladii cultor gregis. Illius aude
 26 quaelibet auspicio antiquis opponere libris
 27 atque Palatino sic tradita rere tonanti.
 28 Donec erunt homines, hominum variique labores
 29 donec et immensi constabit machina mundi
 30 vivet opus nomenque tuum, nomenque beati
 31 praesulis, aequatum, quem tu describis, Olympo.

GENETHLIACON D. ERASMO ROTERODAMO.

P2_7 v.1 Natalis rediit dies Erasmi,
 2 partus conscia lux beata magni,
 3 fausto sidere, sole gratulante,
 4 et diis auspiciis favente caelo
 5 adsensu genii beatioris
 6 exsultantibus Aonos puellis,
 7 Phoebos dulcius accinente carmen.
 8 Ad communia sacra jam frequentes,
 9 et natalitias adeste pompas,
 10 quorum frons hedera viret sequaci.
 11 Et Parnassia luculenta Daphne
 12 lambit tempora, quosque semidivos
 13 Virtus nobilitat, manusque bello
 14 Non instrenua, quosque semidivos
 15 vatam carmina naviter bearunt.
 16 Hac nil candidius die, Batavis
 17 illuxit populisque quos inundant
 18 Ister maximus auriferque Rhenus
 19 qua laetus puer extulit sub auras
 20 tam sanctum caput, affuit beatae
 21 dextra Juno facillima parenti.
 22 Ter Lucina vocata, ter repressit
 23 ultro parturientis haec dolorem.
 24 Ex templo positum est onus suave,
 25 et felix utero recessit infans,
 26 vitae ad munera, luminis sub oras.
 27 Natum prima vocat, recens Erasmus,
 28 divorum monitu beata mater
 29 rebus nomen et omen auspicatum,
 30 ut quo nil meliusque, gratiusque
 31 largiri potuere fata nobis,
 32 nil concedere dii queunt benigni,
 33 majus nec dederunt prius, dabuntque.
 34 Nati lanificae manum sorores

35 admorunt niveis repente filis
36 et laetos glomerant dies benignae.
37 Porro limen ad extimum comatus
38 magnae Cynthius adstitit parentis
39 vitae cum cecinit deus, futurum
40 divino Pataraeus ore cursum,
41 et sanctam pueri indolem retexit
42 fetusque ingenii laboriosos.
43 Cum Phoebo cecinere tum puellae
44 Hippocrenides. Audiit sub imis
45 Rhenus fluctibus, extulitque canum
46 rauco fonte caput, simul lacertos
47 muscoso levat uvidos ab antro.
48 Insuetae stupet evocatus amnis
49 blanda ad murmura vocis, et novarum
50 miratus faciem nimis dearum
51 intonsique dei fides canoras,
52 mox cursum requievit incitatum,
53 cum Latonius interim Phanetes
54 et carmen cecinere tale musae,
55 sed divinius ore grandiori.
56 "Terris orte puer modo Batavis
57 accessure meae novum cohorti
58 et primum decus aevitatis hujus
59 summis macte bonis. Tibi ecce fontes
60 pandit Cyrrha suos, et ampliori
61 vena Pierii fluunt liquores,
62 atque arces reserat suas Cytheron
63 et sacrum penetralius recludit
64 imis ex adytis. Puer Latinae
65 junges Pallada Cecropis Minervae
66 admirantibus omnibus vicissim
67 Romanis simul, et simul Pelasgis.
68 Quin sub tempus idem, probe retundo
69 ore, atque eloquio disertiore
70 insectabere Barbaros magistros,
71 incultamque redargues loquelam,
72 insanas et ineptias refelles
73 sana mente, severitate justa.
74 Post idem reducem suis Philippum
75 regnis usque ab Ibericis profectum
76 verbis excipies, et universi
77 consensu populique patriaeque
78 dices nomine gratulationem :
79 casus difficiles, iterque durum
80 attactumque Britanniae minaci
81 tempestate solum. Proinde gestas
82 tot res egregie domi forisque
83 ingenti simul explicabis ore,
84 regis quo nihil orbis ante majus
85 vidisset, propria haec tibi fuissent
86 si Germania dona, Caesarique
87 aequa mente Diespiter faveret.
88 Verum heu vocibus usque luctuosis
89 immaturum obitum, necemque acerbam
90 deflebis juvenis, manumque duram

91 et fati violentiam maligni
92 incusabis, et usque et usque amaras
93 nequicquam querimonias profundes.
94 Exin majus opus reconditumque
95 nulli consimili modo priorum
96 tentatum aggrediere, quodque abunde
97 diversa scatet eruditione.
98 Non calle ingredieris ante trito,
99 nec vestigia nota consecutus,
100 aut pressa alterius solo meabis.
101 Et jam Graeca Paroemia et Latina
102 tersa fronte aperitur explicata.
103 Dii quantum est operis ? Quid hoc librorum ?
104 Pleno est copia florulenta cornu.
105 Tum Graii generosus Euripidis
106 assumens tragicam severitatem,
107 ad proscenia Romuli vocabis :
108 cum vates opera tua Pelasgus
109 fortunas Agamemnonis cadentes
110 et fletus Hecubes amarulentos
111 orchestram bene ductus in Latinam
112 Romano gravis intonabit ore.
113 Plutarchi tetricas subinde chartas,
114 nec non scommata salsa Luciani,
115 queis mores hominum suave carpit,
116 illuditque deis, nihil verendo,
117 donabis nivea Latinitate.
118 Dein mentes hominum libidinosas,
119 nec non pectora caeca pravitate,
120 et vitae tenebras periculosae
121 scite nomine Moriae notabis.
122 Scribes milite digna Christiano
123 et quae vir sapiens bonusque vitet
124 trades, quaeque sequatur examussim.
125 Tum vero sua principes docebis
126 quae sint officia, et quibus reguntur
127 gentes artibus, et tenentur urbes.
128 Purgabis veteres Sophon libellos
129 mendis, interituque vindicabis
130 scripturas Senecae catas severi.
131 Et sanctos Hieronymi labores
132 antiquum revocabis ad nitorem.
133 Legum denique sacra tu novarum
134 cunctis biblia rectius legenda
135 et Graeis dabis, et dabis Latinis.
136 Tu quicquid rigida phrasi per orbem
137 aetas prisca rudique publicavit
138 Pauli dogmata, et irreprenta Christi
139 edicta, ac monitus benigniores
140 trades omnia puriore lingua
141 divinae bonitate fretus aurae.
142 Ostendes duce caelitum favore
143 quanta numinis incitata flamma
144 summi buccina patris inter aegros
145 tum degens homines, salutis auctor
146 et vitae melioris excitator

147 princeps luminis, ore quo profari,
148 Christus vel potuit, vel est locutus.
149 Mystes sacrificus dei subinde
150 placabis prece caelites, et aras
151 collustrabis odoribus Sabaeis,
152 semper rite litabis adprecatus.
153 Tu decreta dei atque jura caeli
154 perscrutabere funditus, perennem
155 callebis sapientiam deorum
156 supremis animum artibus colendo
157 quae posthac pius omnibus repandens
158 magnis digna diis, loqueris unus.
159 Sed cum livor edax, et invidendi
160 infelix rabies, sibi que tantum
161 importuna lues et atra pestis,
162 summis immineat subinde rebus :
163 nil acti cruciabili furore
164 vaecordes tibi Zoili, tot uni
165 vasta intemperie dua nocebunt,
166 non impune tibi graves futuri.
167 Latratus facies pili improborum
168 pelles insidias furentum inanes,
169 vim rupturus et impetum malorum,
170 et linguas cohibebis impudentes.
171 Quin plures veluti manu retusi
172 convicti rationibus disertis
173 Entello tibi concident Daretes.
174 Cui poenas tibi sunt daturi easdem
175 quas victus mihi Marsyas pependit
176 detracta cute, nudus et cruentus.
177 At longum fuerit, nimisque longum
178 complecti numero tuos labores
179 et producere cuncta nominatim.
180 Et te, sicut Hymettiis ab alveis
181 favis Attica mella cum Latinis
182 undabunt locupletius per orbem.
183 Primas quicquid agas feres, rotundi
184 in leges bene carminis ligabis
185 sermonem, et facies repente versus
186 affines Lyricis Horatianis.
187 Scribes verba modis celer solutis
188 magno cum Cicerone fulminabis.
189 Promes Socraticis frequens ab acris
190 praesentes animae omnibus medelas.
191 Et sanctae dabis instituta vitae
192 ingens sobrietate vel Platonis.
193 Scripturas quoque temperabis omnes
194 festivo sale, comico lepore.
195 Haec tum feceris antequam senecta
196 tanges undecimum gravante lustrum
197 et terras simul exterarum adibis.
198 Primum Lutetiae Parisiorum
199 sectatus sapientiae magistros
200 intrabis penitus larem Sophiae.
201 Mox Romae tereti et potente lingua
202 facunda Ciceronis in palaestra

203 desudabis, et impiger disertis
 204 libris, Felsinea vacabis urbe.
 205 Vises caeruleos item Britannos
 206 et versabere regiis in aulis
 207 inter nomina magna, et optimates,
 208 heroas proceresque purpuratos.
 209 Et dignaberis omnium favore
 210 vita mirifice decorus omni,
 211 pura mente suavitate morum
 212 et dulci eloquio, ac deae suasu
 213 Pithus, omnibus unus adlubesces.
 214 Imprimis, hominum eruditiorum
 215 ingens praesidium decusque rarum
 216 praeclaris Gulielmus a Varamis
 217 nullis non animique corporisque
 218 fortunae quoque dotibus beatus
 219 te magni faciet. Nec ille solum
 220 primas inter erit viros Britannos
 221 sed virtute sua, sibi hoc vel ipsum
 222 toto nomen in orbe vendicabit.
 223 Amplexabere candidos politi
 224 mores ingeniumque dulce Mori
 225 Mori, cui fluet undequaque versus
 226 conditus sale, melle, felle, risu.
 227 Tunc pro materia rei notatae
 228 hic comis popularitate vitae
 229 prudens, ingenuusque, perspicaxque
 230 omnes ante alios placebit unus.
 231 Cui tu credere cogitationes
 232 quin et seria libere jocosque
 233 audebis, tibi dedito sodali
 234 mutam praecipue fidem colenti.
 235 Illinc deinde reversus adjacentes
 236 Rheno belligeras adibis urbes
 237 duri ex Helvetii jugis profectus.
 238 Hic te Capnion innocens videbit
 239 pullati rabie gregis tot annos,
 240 rictu et mordicus appetitus atro.
 241 Oblectaberis hospitalitate
 242 Rhenani et studiis simul Beati.
 243 Doctorum tibi quicquid est ubique
 244 applaudet reduci, tibi et Latinae
 245 assurget bona pars sodalitatis.
 246 Nostri et nominis universus ordo
 247 inclinet caput omnibus theatris.
 248 Illis culte locis Erasme canus
 249 post quinquennia jam decem peracta
 250 nocturnas vigilabis ad lucernas.
 251 Hebraeae salebrosa verba linguae
 252 exemplum studiosus ad Catonis
 253 edisces. Sitis impotens honesti
 254 et famae pretium, nihil jubebit
 255 non tentare boni. Proinde numquam
 256 magnorum obsaturaberis laborum.
 257 Porro cetera quae sequetur aetas
 258 divinis inhiabit apta rebus

259 humanis moderatius vacabit.
 260 Quamquam consiliis senatuique
 261 regum addictus eris, fideliorque
 262 et non ultima pars patrum fereris.
 263 Te vitae tenor innocens, et usus
 264 commendabit honestior. Tibi usque
 265 cordi simplicitas, bonum, piumque
 266 et recti studium, inque taminatus
 267 vitae candor erit beatioris,
 268 et victus sine sorde mundiores.
 269 Haec tum Phoebus Apollo vera nobis
 270 olim praecinuit. Deo canenti
 271 fatorum stabilis statim potestas
 272 subscripsit. Subito, o Erasme, prodis
 273 in lucem, nova lux tibi tuisque
 274 non solum genitus, sed universo
 275 orbi nasceris, optimum deorum
 276 munus, quale nec antea dederunt,
 277 nec sunt, ut reor, amplius daturi.
 278 Debebunt alii penatibus diis
 279 communi et patriae, parentibusque :
 280 uni patria debitorum Erasmus est.
 281 Huic Germanicus orbis et Latinus
 282 nec non Graecia restituta debent,
 283 tot propter varios viri labores,
 284 dotesque ingenii affluentiores.
 285 Hunc quantum est hominum modo bonorum
 286 quantum vivit in orbe candidorum
 287 hunc et femina, virque, et hunc puellae,
 288 imberbes pueri, senesque cani
 289 exornate diem. Dies Erasmi
 290 hic natalicius meretur esse
 291 toto festus in orbe. Vos Erasmus
 292 et donis et honoribus deorum
 293 omnes accumulate. Nunc et omnes
 294 ante aras bona dicitote verba
 295 et linguis animisque confavete.
 296 Illi nunc bona comprecemur omnes,
 297 soles hariolemur et beatos.
 298 Quot vixit, numeret <tot> ille posthac (vers lacuneux)
 299 natales celebres et auspucatos.
 300 Haec illi rata vota dii benigni
 301 possunt reddere. Vota dii vel ista
 302 ut justis fuerint, rata exsequentur.

LYRICUM AD JANUM THURZONEM VRATISLAVIEN. ANTISTITEM.

P2_8 v.1 Seu leves versus humili camena,
 2 seu cothurnato pede grande nobis
 3 carmen, aut sacra Polyhymniae vi
 4 dictet Apollo ;
 5 sive Pyrenes viridi sub antro,
 6 sive qua celsi nemorosa ducunt
 7 tesqua Parnassi, vel ad Hippocrenes
 8 flumina cantem.

9 Omne quodcumque est juvenile carmen
 10 insolens, ohe tibi nuncupabo
 11 Thurzo, cui sacros apicata cingit
 12 infula crines.
 13 Ducat hirsutos cithara leones
 14 Orpheus, stantem remoretur Hebrum,
 15 ducat auritae foliosa cantu
 16 robora silvae.
 17 Pluris hoc nobis fuerit, serenum
 18 ista si vultum teneant beati
 19 principis. Nam sic potiore plectro
 20 utar Agyleu.
 21 Ne tamen nostram, precor, hinc Thalam
 22 censeas, leni properata nisu
 23 extudit praeceps calor impolito
 24 carmina vati.
 25 Abnegat famam celerata nobis
 26 Musa, sed quod non abolebit aetas
 27 grande, vel nonum latebrent in annum
 28 scrinia carmen.
 29 Thurzo majori tua facta chartae
 30 dia mittentur, sibi quam secundam
 31 posteris certe metuat sub annis
 32 Smyrna, vel Andes.
 33 Tusciae doctis equitem libellis
 34 sero mandavit veneranda sacrae
 35 Mantuae proles, decus hoc perennes
 36 explicat alas.
 37 Ipse et Augusti decus, atque honoram
 38 barbito famam gracili, et sonantis
 39 Aufidi multo numerosus ore
 40 cantat alumnus.
 41 Ille Phoebaeae venerator artis
 42 adfatim sanctos coluit poetas :
 43 hinc patris vero patriae vocatu
 44 nomen adeptus.
 45 Thurzo sic vates colis eminentes
 46 et beas vultu bene liberali.
 47 Qui soles larga mea munerari
 48 carmina dextra.
 49 Quippe non nummis inhias nec auro,
 50 nec studes gazae nimium repostae
 51 sed tibi nullo peritura seculo
 52 nomina quaeris.
 53 Noster iccirco tibi semper uni
 54 Phoebus arguta studeat Thalia,
 55 et laborato officiosa versu
 56 serviat uni.

LYRICUM AD D. NICOLAUM PRAESULEM.

P2_9 v.1 Dive quem vasti maris ac profundae
 2 Doridos, mundi pater, et potentem
 3 caeruleae fecit regionis olim
 4 Oceanique.

5 Ipse nunc Triton tibi paret uni, et
 6 saeva tempestas, loca feta ventis
 7 jussa non spernunt tua, cui tricuspis
 8 fuscina cessit.
 9 Stulta Neptuno pelagi vetustas
 10 jus dedit, donec veniens honores
 11 sanctior vanos abolevit aetas
 12 Ennosigaei.
 13 Saepius salsas miser inter undas
 14 naufragus vanum maris invocavit
 15 numen, heu nullum tamen hinc levamen
 16 sensit opemve.
 17 Saepe te puppes maris obruendas
 18 fluctibus prona tenuisse dextra,
 19 saepe praesenti posuisse dicunt
 20 numine ventos.
 21 Supplices ergo tibi, Nicolae,
 22 vota mortales adhibent precesque
 23 et tuum numen reverenter aetas
 24 omnis honorat.
 25 Sicca tu nobis Elice per altum,
 26 et salutaris Cynosura nautis.
 27 Tu locas semper sinuosa portu
 28 vela secundo.
 29 Huc ades rector maris inquieti.
 30 Nostra felices aditura portus
 31 cymba nos vento facili, et secunda
 32 provehat aura.

SODALITATIS COLLIMITIANAE INVITATIO.

P2_10 v.1 Jam nunc calendas ante Januarias
 2 ohe sodales optimi,
 3 conviviali ludicro, sic pristina
 4 durante consuetudine
 5 regem vocemus quisquis eventu bonus
 6 obtinget hic, sceptrum ferat.
 7 Felixque nobis praesit hic felicibus
 8 regno potitus annuo,
 9 Vadiane, nam tu singulis absens procul
 10 desideraris unice.
 11 Sodalitatis eia litterariae
 12 jucunda pars et optima
 13 audi quot una nunc coimus, et diem
 14 hunc auspicatum ducimus.
 15 Victor sua nos accipit cunctos domo
 16 consultus ille jurium
 17 sanus pudica gaudet hic cum conjuge
 18 natum recens ob filium.
 19 Et ille caeli gnarus et rerum omnium
 20 Georgius doctissimus
 21 uxore felix et utrisque liberis
 22 sed filio potissimum.
 23 Tum vir medendo Lazius praestabilis
 24 et sanitatis artifex.

25 Cujusque nunc mademus ob natalia,
 26 Zuola vir tersissimus.
 27 Ac puritate morum et innocentia
 28 primas Leonardus ferens.
 29 Abhauser inde, quo nihil suavius
 30 non corpus absque pectore
 31 utroque pollet. Hunc sequatur acer et
 32 animosus ille Clodius.
 33 Hunc ore vera dictitantem libero
 34 nostrum vocemus Actium.
 35 Et comis ille, et integer Laurentius
 36 sermone, vita, moribus.
 37 Perlachius non est tacendus omnium
 38 doctissimus Mathematon.
 39 Habes tibi perspecta dudum nomina
 40 sodalitatis integrae.
 41 Quae laeta cuncta fausta, fortunataque
 42 consentiens optat tibi
 43 annum hunc beatus exigas ut perpetem
 44 uxore cum juvencula.
 45 Ursinus autem te rogat potissimum
 46 vivas diu, memor sui.

AD CENAM SODALIUM INVITATIO.

P2_11 v.1 Ad convivia non Apiciana,
 2 ad carchesia non Bonosiana
 3 sed queis cenula Socratis placebit
 4 nec queis pocula displicent Platonis
 5 dulces carmine provocem sodales
 6 comes, morigeros, et elegantes.
 7 Unum nomine quemque nunc vocabo
 8 jucundum mihi symptom futurum.
 9 Primus sympota Bartholinus esto
 10 cultor Pieriae pius cohortis,
 11 quem juxta Vadianus ille noster
 12 accumbat pater elegantiarum,
 13 accumbat pater et facetiarum.
 14 Veloci pede curre, digne tanto in
 15 primis symposio Velociane.
 16 Cujus non bene prima nominati
 17 versu syllaba clauditur trinodi.
 18 Huc Collimitium puer vocato
 19 pars sodalicii bona est disertis.
 20 Magnorum pater est Apollo vatum :
 21 docti numen habent idem medentes.
 22 Quin te, Cuspiniane, jam vocarem
 23 si magno tibi parva complacerent.
 24 Asscripsi loca prima Bartholino
 25 assurget tibi Bartholinus ultro.
 26 Ad convivia Ritzius vocetur
 27 quo nil doctius eruditiusque.
 28 Petreius cito Ritzius sequatur
 29 Romano sale et Attico refertus
 30 vitae dimidium meae, meae ohe

31 mirator nimius veni Thaliae.
 32 Insigni mihi sede collocetur
 33 facundo Fruticenus ore notus.
 34 Extrema optima turba sympotarum
 35 me dignabere sede. Junctus exit
 36 convivis numerus decens locatis.
 37 Ac ne desuerint boni ministri
 38 alter symposiarcha Bassus esto
 39 alter symposiarcha Julianus.

EPISTOLARUM LIBER.

AD IOANNEM THURZONEM ANTISTITEM VRATISLAVIEN
 DE CAESARIS AC REGUM CONVENTU VIENNAE PANNONIAE.

P3_1 v.1 Vindelicis Augusta jacens late inclyta terris
 2 nos tenuit, bis Thurzo, decem cum principe soles,
 3 inde Licum emensi ratibus, jam classe parata,
 4 Danubium regnatorem sulcamus aquarum.
 5 Multa quidem ripis spectavimus oppida circum.
 6 Vitigeros inter colles, castella situmque
 7 urbis, ab exiguo quae ducit nomina Rego.
 8 Quaque suum amittit nomen, torrentior Aenus
 9 Danubiumque opulentat aquis, et flumine magno
 10 confluus. Applaudunt nymphae Istrides, Istrides undae
 11 et jam se Rhenum credunt aequare bicornem.
 12 Haud procul inde autem, Grinaea ubi moenia surgunt,
 13 est locus horrendo qua vortice proruit Ister
 14 praeruptis scopulis utrimque artatus, et una
 15 parte absorbet aquas aliaque excussat ab imo
 16 navifragos fluctus. Visu miserabile, nautae
 17 saepe etenim illidunt naves. Nant flumine merces
 18 praecipitantque viri mersati gurgite vasto
 19 frustra, heu, Nicoleon et numina sancta vocantes.
 20 Nos ausi penetrare. Ipsi posuere repente
 21 venti, terribiles visique silesceere fluctus.
 22 Credo equidem sensere virum quem flumine amico
 23 deveherent, gratum diis et mortalibus aequae.
 24 Atque ut Panoniae ventum est ad pulchra Viennae
 25 moenia, successum et tectis, mox prima virorum
 26 delectos proceres, princeps accivit, habendo
 27 concilio, acturus magnis de rebus ; et inde
 28 secessit Stiriis confinia ad oppida terris.
 29 Hic porro interea nos consuetudine suavi

30 doctorum fruimur. Mihi Cuspinianus in illis
 31 est potior. Vir enim hic mellito fundit ab ore
 32 dulcia verba, quibus mollescunt pectora regum,
 33 dives opum, forma excellens, et pectore magnus.
 34 Et quo cum magna digressus ab urbe Quirini
 35 Germanos late populos, patriamque revisi
 36 Aegidius, praestante Remus cognomine. Quo non
 37 candidiorem animam Lucina in luminis auras
 38 protulit. Ipse sacras leges Romanaque jura
 39 novit, et est inter consultos principis unus.
 40 Ac longe ante alios facundus divite vena
 41 eloquii praestat Vadianus, et innumera vi
 42 carminis, imparili pede, seu pede fluxerit aequo.
 43 Cospus item Aemiliae parvi prope flumina Rheni
 44 natus, ad extremam bonus atque suavis amussim
 45 Ausonio reliquos aequat sermone, Pelasgo
 46 ore praeit. Mecum hic magnae de moenibus urbis
 47 deliciis genioque solet non pauca Quiritum
 48 disserere, ah nimium longe distamus ab illa.
 49 Quin et amicitia nobis conjunctior, ori
 50 ingenioque modum scite qui figit honestum
 51 Rudolphus, latices juvenis satur Hippocrenes.
 52 Nunc et Rhaetaeis gens dura sub Alpibus audit
 53 aut simile, aut melius, Peligni carmine vatis.
 54 Et jam Pannonius rex et rex Sarmata fratres
 55 Posonii coiere, prior sed Pannonius rex
 56 jam grandis natu, et defecto corpore languens
 57 filiolo cum rege, sua cum principe nata.
 58 Alter ab extremis Scythiae comitator oris,
 59 victor ovans, gelidique Borysthenis affuit undis
 60 nuntia ut ad Langum pervenit epistola, regum
 61 advenisse viros, mox apparat ire vocatus.
 62 Quo cum caeruleas instructa classe per undas
 63 omnes devehimur, pia numina voce sonantes,
 64 numina, queis magni jus est maris et fluviorum
 65 praecipuum et laeti jam optata ad litora regum
 66 venimus. Imperio nobis genitoris amico
 67 adversum natu rex ipse novissimus ivit
 68 torquatos inter proceres, interque togatos
 69 pontifices. Ipse emicuit ceu sidereus sol,
 70 blanda tuens, huic flava genas lambitque tegitque
 71 caesaries, omni subeunt ex parte ministri
 72 auro intertextis induti vestibus. Omnes
 73 diversos illic habitus atque ora virorum
 74 vidimus. Inter eos studiosus Sarmata cultus
 75 regifici, quamque est habitu, tam corpore pulcher.
 76 Nec sua defuerunt Germano serica, non et
 77 copia pictai vestis, fulgentis et auri.
 78 Quamque gravis cultu, tam gens fuit ore verenda.
 79 Ubertate tamen Panno praecelluit acer
 80 sive auri vestes, sive auri pondera cernas.
 81 Vera loquar, sed parva charis, quia simplice vestes
 82 arte laboratae membris ingentibus haerent.
 83 At laus est patrio non ultima vivere ritu
 84 indigenas, et non externae sumere cultus
 85 luxuriae ac mores non perdere praestat avitos.

86 Ora perusta gelu crudus Scytha, turpia Moschus
 87 imbellis sublime apicato tegmine vincit,
 88 atque latus curvo procedit Acinace cinctus.
 89 Jamque decem totidemque dies fluxere, peractis
 90 conciliis, magnis impensaue tempora curis.
 91 Cum bene compositis divino pectore rebus,
 92 auspicibusque deis, quas non est dicere, Langus
 93 digreditur, laeti dominum comitamur euntem.
 94 Sarmatico tunc Langus equum dedit astura regi.
 95 Nobilium pelles subito rex ipse ferarum
 96 tresque simul pateras dedit, aurea munera, Lango.
 97 Atque ita nos illo discessimus. Hactenus ambo
 98 et regem reges, et fratrem pectore fratres
 99 augustum exspectant, Augustae stirpis uterque.
 100 Magnus uterque, virum tum re tum nomine magnum,
 101 venturum alloquio, quem consilia alta petentes
 102 Helvetii retinent Insubro cum duce fortes.
 103 Et Lusitani rex litoris, armipotens rex
 104 Emanuel ; nec non cui septem cura tuendi
 105 regna per Hesperios incumbit maxima tractus.
 106 Nescio quos etiam perhibent componere motus
 107 Belgarum indomiti perturbant omnia Belgae,
 108 haud impune tamen. Deus omnia lumine justo
 109 aspicit. O solus quam multa negotia Caesar
 110 sustinet, et quanto curarum pondere sudat
 111 subjectos placida populos dum in pace tuetur,
 112 debellatque malos et proterit impiger hostem.
 113 Ne tamen ulterius junctos tibi sanguine reges
 114 distineas Caesar. Qualis modo cumque labor te
 115 implicitum tenet aut quocumque sub orbe moraris
 116 tolle moram, et venias ; neu dedignare precantes
 117 aspectu reges, tua quos praesentia reddet
 118 imperio faciles, parilesque per omnia votis,
 119 pacturos animum atque aeternum in foedus ituros.

AD EUMDEM JOANNEM EPISCOPUM DE D. ERASMO ROTERODAMO EPISTOLA.

P3_2 v.1 Pulchra quidem nostris, sed non bene viribus apta
 2 ut sumam dicenda, modis hortare benignis
 3 Thurzo tuum vatem, facili tantummodo ludo
 4 adsuetum et musis vulgaribus, audeat altum
 5 ire per Aegaeum, Ioniis aut fluctibus, expers
 6 ipse metus, certis et credere vela periculis
 7 praesenti quicumque animo jactabitur undis
 8 bellua cui sicco spectatur lumine pistris
 9 quique armenta videt varii luctantia Protei
 10 intrepidus. Tuti legimus nos litoris oram,
 11 et nostra exiguo decurrit flumine cymba
 12 non assueta salo tumidique furoribus Euri.
 13 Tale movebit opus, quem vel Boeotius Aon,
 14 vel quem Roma dabit vatem, non aspera qualem
 15 Slesia fert. Neque enim est operae cantare minoris
 16 et versu Augusti contexere nomen Erasmi
 17 quam Phrygium Latiis Aeneam sistere regnis
 18 aut Larissaeum mentito prodere sexu

19 Aeacidem, magnaequae armare in proelia Trojae.
 20 Hic aliis incumbit honos, quorum inclyta lambunt
 21 tempora felices hederæ : quibus altius ire
 22 et penetrare datum Parnassidos avia Cirrhae
 23 avia, sed nobis tantum et male cognita Cirrhae
 24 laurigeræ nemora. At nobis utcumque sat esto
 25 natalem celebrasse diem, non carmine digno
 26 et memorasse viri dotes Ursinide musa.
 27 Quamquam agitata deo fert mens succumbere, et ardet
 28 igne novo, et solito mihi spiritus altior exstat.
 29 Ipsa tamen rudis heroum ad Paeana deumque
 30 ire suo facilis mavult pede. Praestat inertem
 31 serpere humi et terra niti demissius ima
 32 aere dissuetum, quam si caput exserat alto
 33 ausa ruat, facinus damnabile. Quisquis Erasmi
 34 in sua divinum transferre poemata nomen
 35 atque virum primis deducere gestit ab annis
 36 usque sub haec actæ felicia tempora vitae,
 37 proxima Vergilio, vel cantet Apolline digna.
 38 Fas nulli fuerit vulgato carmine famam
 39 deterere, et levibus committere grandia nugis.
 40 Ne si forte virum merito defraudet honore
 41 laudator modicus, praesens hunc sibilet aetas
 42 et male venturis injurius audiat annis.
 43 Cenam pollicitus, vilem vix ille merendam
 44 praebuerit, laude et careat discrimine laudum.
 45 Quin metuat, ne sublimem delatus in auram
 46 turpiter Icaro mutet sua nomina casu.
 47 Talibus abstineam, veritus, si maxima tentem
 48 magnanimi fulvum cum forte Leonis ab armis
 49 decidat exuvium, scabra cute prenda asellus.
 50 Hic mihi quis risum teneat, vel temperet irae
 51 supremi Jovis armigeram si noctua laudet,
 52 si pictam Junonis avem cornicula turpis
 53 Nirea Thersites, acrem et piger Irus Ulysses ?
 54 Incipiant omnes certatim et nomen Erasmi
 55 laude vehant. Illis quantumvis divite vena
 56 pectus abundarit duplicisque opulentia linguae
 57 manet inexhausto sermonis flumine docti
 58 inferiora sua dixisse cupidine cernes
 59 cum majora suis cantarint viribus omnes.
 60 Plurima sunt dicenda viri monumenta, benigni
 61 tum mores, niveae tum candor, et aurea vitae
 62 norma, decor, Charites, mens Daedala, mellea Pitho ;
 63 dein fortunati vere nimiumque Batavi
 64 nomine seu tanto, potius seu numine dicam,
 65 postremo sibi Rotrodami praesignis alumno
 66 quam bene praesentis Germania jusserit aevi
 67 cedere Romanos scriptores cedere Graios.
 68 Ista canant, centumque alias per carmina laudes
 69 quorum Pierius Smyrnae calor aequat alumnum
 70 Pegaseum manant qui nectar, et Attica mella.
 71 Ipse autem artificem post illa tacebo secutus
 72 Atridae maestos nequii cum pingere vultus
 73 naviter inducto textit qui cetera velo.

AD PAULUM JOVIUM COMENSEM HISTORICUM INSIGNEM, EPISTOLA.

P3_3 v.1 Paule Jovi, magna studiorum exercite cura
 2 sedulus aeternis regum Mavortia chartis
 3 facta notans, ecquid libris intexere pergis
 4 exutum Italiae regno totiesque reductum
 5 Belgarum regem ? Contraria militis arma
 6 Teutonici nostris conatibus ? Impia certe
 7 corda virum, paene et Germanae perfida pubis.
 8 Ardua miremur sine pectore corpora, quorum
 9 virtus heu Veneto, pudet heu, divenditur auro.
 10 Non tam digna suae quam gens est prodiga vitae,
 11 in scelus omne ruit, turpique libidine caeca
 12 rem studet injuste, non quaerere nomen in armis.
 13 At ne totius paucorum crimine gentis
 14 in discrimen honos rapiatur, justus in illos
 15 saevus in immeritos. Tu ne metire malorum
 16 ingeniis animum atque fidem, tantummodo foeda
 17 dissidia infidae plebis rabiemque furentum
 18 debes velle tuis liquido committere libris.
 19 Cetera par magnis scriptoribus, omnia recte
 20 tute, nec inferior Crispo neque Caesare pejor.
 21 Sed jam, Paule, tuis appone coronida libris,
 22 et Capitolino scripturas Dijove dignas
 23 aede, laboratum satis est. Si scribere tentes
 24 omnia bella, prius tanto immoriere labori
 25 forsam quam findem scribendi feceris. Ohe
 26 jam satis est, aveo ingenii jam docta videre
 27 incrementa tui. Nunc desine Gallia victrix
 28 debellanda iterum, si diis placet. Adria porro
 29 Augusti lentas deridet Caesaris iras.
 30 Ille fatigatus nondum, fed Marte repressus
 31 instaurat vires, ignominiasque priores
 32 vult bellis abolere novis, nova parturit arma
 33 mox ferro repetitum urbes ruiturus ademptas.
 34 Verum quid reges agitant ne sit mihi curae
 35 noscere. Dulichius neque enim quaesiverat Irus
 36 quid gemini Atridae facerent, quid Phthius Achilles.
 37 Scire mihi studium est potius dulcissime, primum
 38 Coritius quid agat vita dignissimus, ille
 39 an valeat satis ex animo. Dii parcite cano
 40 dii capiti viridem quaeso indulgete senectam.
 41 Denique Vitalis quid agat studiosus, amoenus
 42 Lilius, et Cathanaeus acer ; quid Blosius autem
 43 dulcis, ubi Arsillus noster ; quid musa Coloti
 44 culta facit. Quicquid doctorum novimus istic
 45 scire velim bene si valeant, quibus omnia laeta
 46 comprecor, atque dies cura sine currere faustos.
 47 Porro autem numero si forte repertus in isto
 48 quis fuerit de me qui percunctabitur, illi
 49 quamvis laeta parum tamen haec sis dicere certus.
 50 Ex quo me tenet incerta Germania sede
 51 digressum comite Aegidio Tiberinide Roma
 52 multa tuli. Primum pontes dum cunctor ab Aeni
 53 bis sua diminuit, bis adauxit cornua Phoebe.

54 Dehinc urbs Augusti, retinens a nomine nomen
 55 Vindelicis me exceptit agris. Cum principe Lango
 56 arva pererravi Rhetorum et Norica vidi
 57 oppida. Pannoniae postremo laeta Viennae
 58 moenia contigimus. Bis sex ego mensibus illa
 59 dum sequitur princeps Augustum, commoror urbe.
 60 Hoc uno vobis felicior aere : caelum
 61 Romano siquidem patrium praestare videtur,
 62 sudificus melior Boreas humentibus Austris.
 63 Cetera vos nobis nacti meliora tenetis.
 64 Felices nimium solida haec nisi gaudia vobis
 65 barbarus irrumpens ferro contaminet hostis.
 66 Ast ego magnarum spe lusus perpete rerum
 67 indigne vitam vario discrimine duco.
 68 Queis non promissis lactatus et ore suavi
 69 sic rerum dubius, curarum et concitus aestu
 70 fluctuo spes inter varias. Divexor in horas
 71 tristitiaque metuque. Velut qui nescius errat
 72 incertusque viae sub Daedaleo labyrintho
 73 itque reditque frequens, neque enim tum Gnosia gestat
 74 fila manu, errantem quae tecta per invia ducant ;
 75 sollicitusque magis, dubium cum solus et anceps
 76 tendit iter, nunc inde, pedem nunc promovet illuc
 77 et jam fert animus procedere : tentat et audet
 78 ire per ambages et diversoria caeca.
 79 Dum sperat superare, vocant vestigia retro
 80 lecta pedem, deterret inexcusable error.
 81 Quaeque patet clausa est eadem via tramite torto
 82 alter et ire viam pes dum parat, ambigit alter.
 83 Haud aliter vitam incertus traho. Vana salutis
 84 nunc spes arridet misero, nunc differor exspes,
 85 et nostrae sine fruge operae jactantur inanes
 86 sicut arenosum qui scindit vomere litus.
 87 Denique qui fueram non vili carmine notus
 88 et celebres inter vates jam nomen habebam,
 89 Paule, vides mihi res quorsum redit ? Hei mihi quantum
 90 hei quantum Ursino videor mutatus ab illo.
 91 Ut si forte bonis quis me conferre poetis
 92 audeat, in lente unguentum, ne stultus et ille
 93 caenosum locet egregia cum Pallade porcum.
 94 Ah non conjectum me in flumen oportuit istud
 95 spernentem monitus domini Thurzonis amicos.
 96 Felix qui sapit alterius discrimine : vidit
 97 abreptum in praecipitium, sibi cavit, et ipso
 98 in portu miserum raptari gurgite cernit.

AD STANISLAUM SAURUM CANO. VRATISLAVIENSEM EPISTOLA.

P3_4 v.1 Qui fieri credam, tum quae contraria votis
 2 fata meis, tum quae adversantia sidera dicam,
 3 ut mihi, Saure, solum natale revisere tandem
 4 sit vetitum, peregre externis regionibus errem ?
 5 Sexta recessit hiems, nunc septima labitur aestas
 6 ut patria careo, multo cupientior illo
 7 quem retinebat amans Atlantis filia magni

8 Ogygiae in silvis, spelaeaque subter amoena
9 indole capta viri, patrio licet ille camino
10 cernere surgentes optarit in aera fumos
11 et quamvis illi conjux quam caelitibus diis
12 antetulit, viduo contenta senescere lecto ;
13 et quamvis illi genitor grandaevus et una
14 Telemachus puer impense cordi fuit, omnes
15 ut tulerit casus ac mille pericula solus.
16 Me patriae desiderium non vilius urget
17 me canum patris caput admonet, allicit usque
18 et genitrix, et blanda soror, tum quicquid ad unum
19 sanguinis est nostri ; magnusque ante omnia Thurzo
20 integer, et purus sceleris, cui debeo primum
21 hanc animam, tum quicquid ero non immemor uni
22 acceptum referam. Nobis duce contigit illo
23 Aonias pulsare fores et limina Phoebi
24 tangere. At o si te princeps memorande sequebar,
25 quam mihi nexuerant gestarem vertice laurum
26 Pegasides, jam et Peligni vestigia vatis
27 fortassis premerem, atque solo firmarer eodem.
28 Nunc miser exclusus foribus, ceu perfuga poenam
29 commeritam luo. Vix hos indignatio versus
30 extudit, atque exile modo quod paene refrixit
31 scribendi studium. Quo me quo denique vertam ?
32 Spenor et irato nunc uror Apolline. Quanto
33 me fuerat satius concessa per otia vitam
34 ducere, Parnassi moliri ad culmina gressum,
35 et latuisse domi, quam consecrarier aulas
36 regum sollicitas, caput hoc obtrudere curis.
37 Sed deus hanc nobis sortem ac fortuna dederunt,
38 ipse deus qui cum consortibus Ambrosiam diis
39 carpit, et aeternum cura sine transigit aevum,
40 expers morborum et spernens genus omne malorum
41 fortunam calcat pedibus. Mortalibus aegris
42 ipse cadis geminis, qui stant in limine caeli
43 gaudia tristitiamque, simul discrimina promit.
44 Hinc rari obveniunt risus et gaudia rara,
45 cura frequens, nec non diuturni copia luctus
46 immodicusque dolor. Verum non omnibus idem
47 est deus, et paucis aequalia pocula miscet.
48 Et mihi nascenti tres vix sorbere bonorum
49 concessum guttas, plenum cratera malorum
50 exhaurire datum, sitiens miser omnia sumpsit.
51 Unde tot adversi casus, dispendia centum
52 atque alia ex aliis veniunt incommoda nobis.
53 Tum comes insequitur duris exercita rebus
54 paupertas, ratio dignorum indigna, popelli
55 contemptus. Quin et pronam mihi lubrica frontem
56 saepius ostendit, capturum Occasio lusit,
57 momento referens cervicem aversa recalvam.
58 Dumque incerta peto amisi spe falsus inani
59 certa bona. Et magnis parvorum eludimur umbris.
60 Ut canis illa cibi majoris imagine lusa
61 amisit rictu carnem fallentibus undis.
62 At nihil est aequae durum, et grave, Saure, neque angit
63 me res ulla magis quam qui mihi cumque sodales

64 contigerunt, aut quos ususque et tempus amicos
65 effecere mihi, primos ubi carpere coepi
66 dulcis amicitiae fructus, commercia solvit
67 digressu fortuna meo, suavisque diremit
68 jura sodalicii. Sic jussus abire Quirini
69 Urbe, quot heu nostri convictus membra reliqui.
70 Ex illo sortem, o duram super omnia sortem
71 tempore Petreio carui, mihi junctior illo
72 nemo fuit, fuit haud alius me junctior illi.
73 Porro quid memorem quos conciliarit amicos
74 Coriciana domus. Tot omitto nomina docta
75 dicere magnorum, tot candida pectora vatum.
76 Durius heu multo, multoque recentius illo
77 inflixit fortuna iterum mihi vulnere vulnus.
78 Namque ubi me Lango cum principe pulchra Vienna
79 excepit, laeta tres Caesar in urbe, volentes
80 dum tenuit reges, illo mihi tempore multum
81 crevit amicorum, queis cum mihi vivere quantum
82 suave fuit, sine eis tantum nunc vivere durum est.
83 Saure, modo illorum per me tu nomina nosce
84 virtutemque virum : nae tu gratabere nostris
85 temporibus, vere haec felicia saecula dices
86 illustrem et patriam, tanta sub luce virorum.
87 Cognita Pierii felix industria Graeci
88 Caesaribus, natoque patrique. Hic, strenua primum
89 aetas dum fuerat laudem quaesivit in armis
90 tum molles elegos juvenilia carmina lusit.
91 Pannoniis ille et sapiens legatus in oris
92 membrum Caesarei fidumque et grande senatus
93 vixit. Eo melius nemo est hoc munere functus.
94 Verum ut deterior morbis comitantibus aetas
95 incubuit, dulci cum conjuge rura tenebat.
96 Vir qualem multis e milibus augur Apollo
97 praeferat, et cujus merita est sapientia primas.
98 Proximus huic aetate fuit, neque moribus impar
99 Stiborius. Nemo hoc naturae occulta tenebat
100 aut caeli tractus melius, nam sidera novit
101 ceu digitos unguesque. Sed, heu, sed avara negarunt
102 fata viro mihi longa frui per tempora. Terra hic
103 diffugiens, divum nota in commercia venit.
104 Jamque explorati migravit ad intima caeli.
105 Sunt duo praeterea, Germani parcite vates,
106 quicquid et est usquam doctorum, quos ego multis
107 praetulerim, fors et possim contendere recte
108 vix alios nunc esse duos, quos scilicet istis
109 anteferas. Nihil est perfectius, omnia nacti
110 natura ingenique bona, et recte omnibus usi
111 aequarunt veteres, praesentia nomina vincunt.
112 Utque animo Collimitius complectitur orbem,
113 sic illum toto nihil est, quod praeterit orbe.
114 Spectarit terras, terrarum adyta omnia novit,
115 spectarit caelum, caeli tenet omnia solus.
116 Huic meus assidue Vadianus et impiger haeret
117 consociis celebrer studiis, felicior autem
118 eloquio, ac musis acceptior. Omne vir iste
119 iudice me punctum tulit, et palmaria sumpsit.

120 Victor item egregia juvenis virtute decorus
121 jura deum legesque hominum percallet, et amplo
122 rite magistratu nunc fungitur. Ipse suorum
123 ante annos longe spes exsuperavit, et omnes
124 aequales magno post se videt intervallo.
125 Quid Rhaeto Agricola studiosius ? Ille diei
126 noctem operosae addit multam ; paene anxius autem
127 omnia doctorum versat monumenta virorum.
128 Hi mihi, Saure, nota tum de potiore sodales
129 exstiterunt, quorum nil consuetudine suavi
130 aut praestabilius fuit, aut jucundius umquam.
131 Nunc tibi sed breviter verbisque in pauca coactis
132 quam pote confieri de me nonnulla referre
133 constitui, ne tu ignores, qua sorte locove
134 vitaque resque mihi fuerit. Me Langus Iberos
135 mittet ad occiduos. Septembribus ipse calendis
136 longum iter ingrediar, populos urbesque potentes
137 Belgarum peragrabo ; dehinc et fluctibus atris
138 Oceani emensis, ad Betica litora tendam.
139 Ergo est in fatis patria procul urbe, sub axe
140 Parrhasio longe posita, ad solem usque cadentem,
141 Saure, Pyrenaeos ultra procurrere montes.
142 Praeterea haud vereor tibi parvum injungere munus
143 et dicenda meo non plurima nomine Thurzo.
144 Cogit enim officium, libeat contemnere leges
145 scribendi, et malim proserpat epistola, quamvis
146 longa, sui que oblita modi diffusa vagetur
147 quam mihi signa animi celentur idonea grati.
148 Sive nova vitam Carthagine duxero, muris
149 Tatraco sive suis me clauserit ; aut ubicumque
150 terrarum Hesperiae degam ulterioris in orbe
151 semper ego illius vivam memor. Inclyta porro
152 hoc auctore domus Thurzeia nomen habebit
153 in populis habitant vitreum qui propter Iberi
154 flumen, qua arva secat, quaque alluit oppida Baetis.
155 Hanc equidem repetens prima incunabula gentem
156 cum patria et toto Gepidarum illustrius orbe
157 nomen Thurzigenum praestante propagine, magnis
158 factorum meritis, ac verae examine laudis
159 qualicumque tamen dixissem carmine nostro
160 jam pridem, et proavos ivissem rite per omnes,
161 ni toties fortuna meis contraria coeptis
162 praepediisset opus, nostroque infensa labori
163 crescentem oppresset Thurzeida limine primo.
164 Sed facilis nostri jactura est carminis, illam
165 qui melius gentem vates tam divite vena
166 dicat, et aeternum victuris nomina chartis
167 commendare queat, celeberrime de gente Bohema
168 Dubravio superat, qui me felicior horum
169 est cultor studiorum, et fama notior orbi.
170 Hic tulerit primas me iudice, sive soluto
171 sive lubet magnum sermone tonare ligato.
172 In primis magni dicet benefacta parentis
173 quem mire inventis, solers industria fecit
174 paene deum. Nam si quod prima ostenderit usum
175 vomeris alma Ceres, mandarit semina terris :

176 caesia texendi mortalibus intulit artem
 177 Pallas, et aeratas acies, et cornua Mavors
 178 instruxit ; dedit arma quibus se oblectat Enyo
 179 esse dei meruere ? Pari ratione meretur
 180 Caelicolum senior Thurzo nomenque, locumque.
 181 Hinc majus tractabit opus majoraque facta
 182 ordiri properet, praeconia fratribus aequa
 183 carmine promeritis impertiat aequus honores
 184 pontificesque duos, caeli usque ad sidera tollat.
 185 Neptuni clarum et magnae genus Amphitritae
 186 cognatum antiquis heroibus, hanc quoque gentem
 187 certus eo referat. Nam testis originis hujus
 188 Thursio, certa fides medio natat aequore piscis
 189 unde illis nomen, genus Oceanitide Tethy.
 190 His sub principibus, stultum sit quaerere vates
 191 materiam e Graecis auctoribus. Anne quis oro
 192 his tacitis Trojam malit, vel dicere Thebas ?
 193 Quisque adeo vellet veris praeferre videri
 194 plurima ficta bonis, fraudari haec saecula tanta
 195 laude, neque objiciat haec facta prioribus annis,
 196 magna secuturis post nos exempla relinquens ?
 197 Haec tu purgando de me narrare memento
 198 pontifici, memorem et nostri fac saepe monendo,
 199 utque amet absentem, tum vero diligat aequae
 200 absentis fratres. Qui natu proximus, opto
 201 Balthazar est nobis, ne sit me vilior illi
 202 hoc oro, haec ingens votorum est summa meorum.
 203 Hoc mihi quaeso ratum, superi cum praesule faxint.

AD JANUM ZVOLAM MORAVUM EPISTOLA SATYRICA.

P3_5 v.1 Desieram versus, et inutile pangere carmen
 2 juratus toties sterili divertere cura
 3 atque animum penitus miseris avellere musis
 4 ex quo magnorum res atque opera ardua regum
 5 infelix cecini vates, contemptus ab illis
 6 quorum est arte mea toto praestantior orbe
 7 decantatus honor, cepi scissosque libellos
 8 ignibus injeci, pluteo impactosque momordi
 9 afflictosque solo calamos pede nixus utroque
 10 calcavi, et teneros corrupti mordicus unguis.
 11 Et dixi, testes mihi dimittendus Apollo
 12 numina praeterea quaecumque poetica sunt
 13 nil mihi vobiscum, o vates, erit, his ego nugis
 14 pono modum. Fuit haec nobis sententia cordi
 15 obfirmata diu, et toto jam pectore Phoebus
 16 excidit, Aoniusque calor deferbuit omnis,
 17 donec ab intonsis mihi littera culta Moravis
 18 reddita, Jane, tua est, tuaque o dulcissime rerum
 19 Musa, cothurnato mihi carmine blandior aequo
 20 et studii et memorem curae jubet esse prioris.
 21 Scribendi nobis rediit, sed degener ardor
 22 et dispar stilus, et contraria vena priori
 23 quid facis ? Extento tu me decurrere lasso
 24 fune jubes. Vacuae non sunt haec apta Thaliae

25 tempora, si nostri statuas in parte pericli
 26 Vergilium, Bavius mutato carmine fiet.
 27 Usque adeo nobis sors adversissima, mentis
 28 elevat ingenuae studiumque exturbat honesti.
 29 Tu melius, tibi nil felici deficit eorum
 30 quae faciunt hominem vere servantque beatum.
 31 Multa relictas tibi, sed nec mihi parta domi res
 32 nec penus annona gravidus ; neque condita centum
 33 servantur mihi vina cadis, non mugit opimum
 34 Marcomanum juxta montes pecus. Horrea nulla
 35 distendit mihi flava seges. Vivaria porro
 36 non reddunt varios multo cum fenere pisces.
 37 Nec servum genus agricolae mihi ruris agrestes
 38 impendunt operas, eheu miserabile, cui non
 39 pane famem modico et proprio sedare cumino
 40 contigit, atque salem patria delingere concha.
 41 Quem spes instabilis, quem mens et gratia fallax
 42 nutrit heri, quovis Care est mihi vilior ille.
 43 Infelix quemcumque premit servilis egestas.
 44 Verum hoc deterior longe, et stultissimus ille est,
 45 libera quem Pallas quondam, et nutricia fovit
 46 Calliope, rectique viam monstravit alumno
 47 ipse autem seu forte aliqua, aut percussus Erinny
 48 regum sollicitis miserum se tradidit aulis.
 49 Nec pudet ingenui libertatisque magistrum
 50 degere more canum, atque alienum arrodere crustum
 51 dulcibus interea dictis blanditur inepte
 52 et laudat damnanda Gnathonicus ; utile damnat
 53 non veritus ne si verum quandoque loquatur
 54 irati subeat Siculi metuenda Tyranni
 55 septa, per ambages atque irremeabile saxum ;
 56 sed timet auriculis odiosus herilibus esse
 57 omnibus assentans domini, ut vix ultimus ille
 58 haereat in mensa, interdum et vescatur opimo
 59 esuriens turdo, et pingui se farciat offa.
 60 O vatium vere insanum genus, atque sui nunc
 61 oblitum, neque enim Augusti nunc vivitur aetas.
 62 Non erepta viris tantum sunt praemia doctis
 63 ipsi etiam proprio fraudantur honore poetae
 64 atque aequo minor est illis, quae sola manebat
 65 gloria jam docto. Nam quid neglectius illo
 66 qui paces et bella suis intexere libris
 67 ausus, ad exemplum divinae Aeneidos exit,
 68 vix tantum placuit, susceptaque carmina vultu
 69 pacato ? Sic laudati, non altera merces ?
 70 Pavonis, pictae quam lumina cernere caudae.
 71 Quid juvat, o miseri, cantare poemata surdis ?
 72 Quis nunc Maeonii sibi flumina carminis optet,
 73 sive quis auderet tam liber, ut Eupolis esse ?
 74 Utile non Enni, nec tutum nunc foret Acti
 75 carmen, opes illi, huic libertas ipsa negetur.
 76 Non etenim accipiunt laudem virtutis et aequi
 77 nec tolerare queunt haec saecula vera loquentem.
 78 Ipse feret plagas Lucilius, et male, doctum
 79 accipietur opus, si talia dicere tentet
 80 qualia adhuc populo perstrinxit carmina mordax

81 innocuo, scelerisque rudi. Si bella tonabit
 82 Vergilius, varia si dicet Horatius oda
 83 heroumque lyra Mavortia personet acta
 84 dira fames intercipient, et frigus utrumque.
 85 Quid facias igitur potius, si forte requiras
 86 pauper, inutilibus praestat desistere coeptis.
 87 Aut pete ab antiquis scribenda poemata rebus
 88 obvia multa tibi venient exempla bonorum
 89 hac indicta tenus. Caelum cantetur et aer
 90 omniparensque tibi tellus, et maxima Thetys
 91 mille dabunt formas dicendaque plurima vati.
 92 His famam mereare modis, ut si nequeas rem
 93 colligere, hinc verae carpas tibi praemia laudis.
 94 Non etenim video, quare sine honore modoque
 95 obscure dives malis, quam pauper haberi
 96 clarus, et aeternam post fata relinquere famam.

AD FRATREM BALTHASAREM. EPISTOLA ELEGIACA.

P3_6 v.1 Unde tibi veniat si quaeris epistola, frater,
 2 ne dubites, fratris nomine scire potes.
 3 Principio absentem cupio salvere, bonusque
 4 Jupiter optatis annuat oro tuis.
 5 Quod nisi sors fuerat nobis contraria, coram
 6 plurima quae cogor scribere, dicta forent.
 7 Nam quid agam, ut noris, qua sim regione, quid instet
 8 quaeque velim, statui cuncta referre tibi.
 9 Me tenet herbosis late Bojaria campis
 10 nobilis, et felix uberis ora soli.
 11 Hic ubi frugiferos disternat Aenus agros
 12 Norica Boiorum finibus arva secans.
 13 Languenti maesti cum principe viximus omnes,
 14 nunc laeti, quoniam fortius ille valet.
 15 Dii melius statuere, redit vis integra membris
 16 et sua nunc solidus roborat ossa vigor.
 17 Hujus ad occiduos jussu proficiscar Iberos,
 18 quam procul a patria dissita terra mea est.
 19 Ibitur in Belgas primum, Morinosque videbo,
 20 et mihi Santonici est ora legenda maris.
 21 Vasta per insanos visenda Britannia fluctus
 22 multa mihi terra, multa ferenda mari.
 23 Immenso errandum pelago, germane priusquam
 24 Betica conspiciam, quo feror, arva celer.
 25 Flecte deos nobis, aris jam dedite frater
 26 atque pio felix ore precator iter.
 27 Ut valeam imposito prudenter munere fungi
 28 mens sit in incolumi corpore sana mihi.
 29 Denique votiva prece numina sancta fatiges
 30 hora revertendi ne sit adempta mihi.
 31 Haec facito quoties sacris operabere Mystes
 32 et totum innocuo concipis ore deum.
 33 Praeterea canos verbis solare parentes.
 34 Saepe tibi pater est, saepe monenda parens.
 35 Qui, quoniam titulis et honore caremus inani,
 36 et mihi divitias sors inimica negat,

37 non tamen iccirco vera se laude putarint
38 frustrari, aut nullum promeruisse decus.
39 Non sumus incelebres, facili me carmine notum
40 vatibus annumerat Martia Roma suis.
41 Vilia quaeque placent vulgo, contraria nobis
42 sunt studia, et laus est posse placere bonis.
43 Eligit immeritos, odit fortuna merentes.
44 Quis pote fortunae vim prohibere malam ?
45 Haec sibi subjecit pedibus dea nomina regum
46 mobilis, et regum debilitavit opes.
47 Non antiqua sequar magnorum exempla virorum
48 illius rabiem tempora nostra docent.
49 Decidit imperio dux Sfortia, milite Caesar
50 paene suo, pudet ah dicere, victus erat.
51 Hoc de me satis est. Nunc quae est sententia, recte
52 accipe quo vobis consuluisse velim.
53 Qui minimus natu frater, quaeque unica nobis
54 est soror eductos convenit esse probe.
55 Alter ut ingenuis juveniles excolat annos
56 artibus, et discat moribus esse bonis.
57 Quem bene si novi certe est puer indole clara,
58 quique sua ad metam currere sponte velit.
59 Altera praecipue est servanda virentibus annis
60 ille viris sexus mollior esse solet.
61 Et quia nostrarum est nimia indulgentia matrum
62 et solet haec aetas deteriora sequi.
63 Cui non Ausonidum placeat custodia major ?
64 Educat Italicas cura suprema nurus.
65 Quotque vides illic matronas ire per urbem
66 dixeris et forma et moribus esse deas.
67 Illic non choreas, non et spectacula visit
68 antea quam virgo nubat adulta viro.
69 Atque opere assiduo lasciva retunditur aetas
70 parca cibi est illis copia, nulla meri.
71 Publica quin etiam festis in templa diebus
72 rara salutatum numina virgo venit.
73 Templa deum, sanctos quae facta petuntur in usus
74 materiam magni semper amoris habent.
75 Sestias in Veneris percussa cupidine primo
76 Cydippe in sacro lusa Diana tuo est.
77 Casta domi superos oret. Bonus undique castas
78 exaudit facili Jupiter aure preces.
79 Nec mihi colloquium juvenum placet. Ipse puellae
80 quam cito in auriculam turpe susurrat amans.
81 Cernimus amplexus, manifestaue basia, tum, quod
82 Lais in obscuro fornice damnet opus.
83 Mos tuus interiit Germania, quando puellis
84 sera Venus fuerat cognita, sera viris
85 crinibus ingrediens cum flevit adultera scissis
86 verbere per medias turpiter acta vias.
87 Improba quinetiam manus est scribendo puellae
88 hac in parte magis convenit esse rudem.
89 Saepe sinu chartam deprendi forte cadentem
90 in qua sit facinus dicere lecta mihi.
91 Byblis abhorrenti transmisit talia fratri ;
92 tale Phaon Sapphus legit amantibus ops.

93 Ista cavent Italae matres, et maxima sanctae
 94 cura pudicitiae est, dos ea summa viris.
 95 Unde illis veniunt divortia rara, simultas
 96 nulla, neque indigni semina dissidii.
 97 Liberior nostris est vita, quod insita fertur
 98 simplicitas, constans, et sine labe pudor.
 99 Esse quidem haec possunt, verum addita cura vetabit
 100 multa, quibus probitas victa pudorque cadunt.
 101 Dulcia verba quibus cor molle labascit, et aurum,
 102 et data persuadent munera saepe malum.
 103 Multaque virgineum quae praestat habere pudorem
 104 multaque quae noceant mitto, cavenda loqui.
 105 Praesenti germane tibi sint omnia curae.
 106 Dulcis et haec tecum sedula mater agat.
 107 Hoc quoque te monitum volui, quam post modo mittes
 108 culta sit, et docta littera clausa manu.
 109 Praeferat Ursini cognomen, et utitor illo.
 110 Nomen idem Latio convenit eloquio.
 111 Hoc nos Arsillus celebravit nomine, vel me
 112 ausus honoratis annumerare viris
 113 Romanos culto memorat dum carmine vates ;
 114 scilicet haec de me scribere certus erat,
 115 alta supervolitans Ursinus tecta Quirini
 116 Caspar Parrhasii fertur ab axe soli.
 117 Barbariem incultam patriis a sedibus arcet
 118 ducit et Aonias in nova templa deas.
 119 Postremo hoc etiam mandatum perforce fratris
 120 prospectum rebus si cupis esse tuis.
 121 Quicquid amicorum nobis vel fecimus isthic.
 122 Vel quorum absentis est conciliatus amor.
 123 Accipe, ne dubites, illorum nomina frater
 124 candida, et indicio pectora disce meo.
 125 Utque ego consiliis, tu non minus utere, et horum
 126 posce meo duris nomine rebus opem.
 127 Nil venerabilius Sauro, neque sanctius isthic
 128 crede mihi, excepto principe, frater habes.
 129 Nos amat, et multi facio sapientis amorem.
 130 Permagni refert complacuisse bonis.
 131 Quamque potest tam spero volet prodesse roganti
 132 hunc tu sub dubio tempore frater adi.
 133 Tum vir Lamprichius probus atque suavis, et hujus
 134 certa mihi est Romae cognita saepe fides.
 135 Nemo pontifici cordi est magis, hunc ego nullis
 136 expertus rebus defore juro tibi.
 137 Proximus his, mihi quem virtus sua fecit amicum
 138 qui nulli, fido corde, secundus erit.
 139 Hesus inexstincti juvenis candoris, in illo
 140 miris conveniunt plurima summa modis ;
 141 cuique Valente meo nemo est addictior, ipsi
 142 vivere cum paribus, dii voluere pares.
 143 Hos moneo cole praecipue, et venerator amicos
 144 quoque potes tantos munere junge tibi
 145 qui tibi Thurzonis genium, tantique favorem
 146 principis ex templo conciliare queunt.
 147 Mite viro ingenium est, et gratia prona juvandis.
 148 Principibus virtus est ea summa bona.

149 Hunc, quoties opus est, vel tu fidenter adito
 150 dummodo justa petas, cuncta repente ferēs.
 151 Multa tibi nostra facturum spondeo causa,
 152 plura sed ingenii pro bonitate sui.
 153 Cetera quae nunc non locus est perscribere, missa
 154 perferet Hesperio littera ab orbe tibi.
 155 Et properata suum nunc sumat epistola finem
 156 vive memor nostri, frater, et usque vale.

AD THECLAM SOROREM ET HEDUIGIN NEPTEM EPISTOLA PARAENETICA.

P3_7 v.1 Thecla soror, tuque Ursino dulcissima neptis,
 2 cara mihi neptis Hedvigi, cara soror.
 3 O fratri dilecta soror, dilecta sed ipsi
 4 vi par est fratri jure modoque soror.
 5 Tuque mihi tam cara tuae, quam sola parenti,
 6 nata potes neptis, quam potes esse patri.
 7 Perpetuo salvete mihi duo nomina, curae
 8 tam magnae curae, quam mea vita mihi est.
 9 Atque iterum salvete meae solacia vitae
 10 queis sine vitalis non mihi vita mea est.
 11 O dulces animae, o gentis duo lumina nostrae,
 12 aedita surgentis vos duo fulcra domus.
 13 Cum subit illa mihi carbone notanda, nefastis
 14 illa mihi, atque atris annumeranda dies
 15 quae me complexu ambarum divulsit amico,
 16 cum tenerae lacrimis immaduere genae.
 17 Altera se maesta desertam ita voce locuta est
 18 tam propere sine me, quo mihi frater abis ?
 19 Altera, nec levis haec fuerat querimonia, dixit
 20 longius affinis quo mihi noster abis ?
 21 Dura licet nobis praecordia creditis esse,
 22 difficile a lacrimis abstinuisse fuit.
 23 Impediit gemitus me dicere plura volentem
 24 illud vix potui dicere triste vale.
 25 Quin etiam vos me per tempora longa profecto
 26 flesse, gravem et luctum continuasse ferunt.
 27 Parque diu ambabus studium et laudabile vobis
 28 certamen vera pro pietate fuit.
 29 Non fratrem Heliades ita dilexere sorores
 30 in ramos quamvis diriguere novos.
 31 Phoebe pharetratam sic diligis inclyte Phoeben,
 32 sic tua te rursum diligit alma soror.
 33 Qualis et illa fuit, facinus sed carmine praestat
 34 egregium vobis commemorare brevi.
 35 Vos audisse reor, quamquam nescire potestis,
 36 rex pollens opibus Persa Darius erat.
 37 Cui socius fuerat cum regna capesseret armis
 38 et tenuit pulsus sceptraque jusque magis.
 39 Illi nomen erat, sed durius Intaphernes (usurpateur Perse, tué par Darius)
 40 conveniens Persis nomen et illud erat.
 41 Venerat hic regis sub limen, ad intima quem tum
 42 regalis vetuit janitor ire domus.
 43 Ille indignatus nimium, nimiumque repulsa
 44 ausus, et effreni grande furore malum ;

45 custodi nasum misero truncavit et aures
 46 hoc impune sibi forte licere ratus.
 47 Ad regem mutilus questum venit ecce minister
 48 ostentans oris vulnera foeda sui.
 49 Rex subito auctorem sceleris fratremque jubebat
 50 conjugis, et natos vincula ad arta rapi.
 51 Iratusque, neci captos decrevit acerbae
 52 dedere, spes miseris non fuit ulla reis.
 53 Orba viro natisque et caro femina fratre
 54 maesta diu regis fleverat ante fores.
 55 Insonuitque omnis muliebri regia luctu,
 56 quam victus lacrimis rex miseratus ait :
 57 - Elige damnatis quem vis ex omnibus unum
 58 ille tibi e diro carcere liber eat.
 59 Illa - Mihi fratrem, fratrem mihi reddite, dixit,
 60 praetulit hunc natis certa viroque suis.
 61 - Ecquid, ait, causae rex est, ut conjuge spreto
 62 et genitis frater carior esse queat ?
 63 - Natorum jactura mihi est reparabilis, inquit,
 64 femina, cui nubam forsitan alter erit.
 65 At senio affecti nequeunt morboque parentes
 66 Mi fratrem, et genitum restituisset sibi.
 67 Obstupuit dictis rex, et cum fratre repente
 68 natum, qui fuerat grandior, ire jubet,
 69 ire jubet vinclis mortisque pavore solutos
 70 plusque suis precibus femina justa tulit.
 71 - An major pietas hac esse sororia posset ?
 72 In vobis certe non queat esse minor.
 73 Dulce est officium et memorabile, grata fidelis
 74 signa animi, haec animum demerere meum.
 75 Me desiderium tenet insatiabile vestri,
 76 ipsaque vos referunt somnia grata mihi.
 77 Nuper ut optato clausissem lumina somno,
 78 acta fere mediae tempora noctis erant.
 79 Visus eram venisse mei sub tecta sobrini,
 80 et mea cum nepti te soror esse mea.
 81 Fila soror duxti, nevisti serica neptis
 82 et calathi vestros ante fuere pedes.
 83 Ante fores tenui observans ego voce canentes
 84 audio divinos continuare modos.
 85 Namque ut ad agnatam juga per montana profecta est
 86 dicta Palaestinae gaudia matris erant.
 87 Non Thisbae sortem et juvenis cecinistis acerbam :
 88 hospite et Oebaliam cum Phryge abisse nurum.
 89 Sancta decent castas et dicta et facta puellas.
 90 Moribus officiunt turpia verba bonis.
 91 Protinus ingredior, venienti occurritis ambae
 92 haeserunt collo brachia vestra meo.
 93 Verbaque dicturae nos excipientia blande
 94 finxistis tenui murmure grata sono.
 95 Sic dum vana meos oblectant gaudia sensus
 96 deseruit facilis lumina nostra sopor.
 97 Evigilo, dulcemque indignor abisse quietem
 98 somnia nec cursu continuata suo.
 99 O mihi si tales referat nox altera visus,
 100 illa sit hiberna nox geminata mora.

101 Nulla diu nobis est et perfecta voluptas.
 102 Gaudia et eventu falsa carere solent.
 103 Non ego contingant si talia somnia nobis
 104 saepius, Endymion Latmius esse velim.
 105 Ipsa licet media descendit ab aethere luna
 106 inque viri amplexus ignibus acta ruit.
 107 Somnia sed quid habent fallacis inania noctis
 108 si qua petenda mihi gaudia, vera petam.
 109 Ut videam incolumes laetasque amplectar, et inter
 110 mellifluos dicam seria multa jocos.
 111 Sunt quae morigeris praecepta salubria vellem
 112 dicere, quamquam ambas admonet ista parens.
 113 Este piaae in superos, et jussa facessite matrum
 114 vestra sit exemplis vita probata bonis.
 115 Summa pudicitiae vobis sit cura tuendae
 116 haec opibus potior dos solet esse viris.
 117 Nec minus este domi linguaque animoque modestis
 118 quam foris, et frugis vos juvet esse bonae.
 119 Sit vobis cordi ingenuos evolvere libros
 120 qui facit ad mores hic liber aptus erit.
 121 Si tamen historias atque extera noscere facta
 122 mens est, conveniens Livius auctor erit.
 123 Saepe legetis enim, libroque notabitis illo,
 124 quae vestrum deceant, dedeceantque genus.
 125 Spernite desidiam, generi nil turpius isti.
 126 Sedula femineum dextera tractet opus.
 127 Mille quidem possem vobis exempla bonarum
 128 et totidem in partem commemorare malam.
 129 Quae, modo non locus est, sub idonea tempora servem :
 130 commodius praesens talia deinde loquar.
 131 Vos bona sectate rogo, spes ne fallite nostras
 132 et memori monitus corde tenete meos.
 133 Sic olim videam pulchra vos prole parentes,
 134 atque ego dilecto dulce nepote fruar.
 135 Nascanturque alii ex aliis, sic opto, nepotes
 136 ut sint vos avias qui vocitare queant.
 137 Haec mihi dii faciles, modo pareat aequa voluntas
 138 vestra, secundabunt alite vota bona.

GENETHLIACON JOANNIS DANTISCI POETAE CLARISSIMI.

P3_8 v.1 Natali, Dantisce, tuo pia sacra frequentet
 2 quisquis Castalio lavit in amne caput.
 3 Personet aurata cithara praedulcis Agileus
 4 et carmen solito laetius ore canat.
 5 Illo Pierides saltent cantante sorores
 6 et sua cum Phoebi carmine mixta sonent.
 7 Adsit, adhuc pedibus surisque madentibus Evan
 8 nuper ab expresso prela peruda mero.
 9 Altera post decimam lux haec trieterida nobis
 10 annua lux partus conscia grandis adest.
 11 Tale vel hoc carmen pariturae ad limina matris
 12 divino Clarius protulit ore deus.
 13 Nascere felici puer o pulcherrime fato
 14 tantum non Phoebio pulchrior et Bromio.

15 Et tibi formoso crescant in corpore vires
 16 membra lacertosis sint bene firma toris.
 17 Qualis erat cum victor ovans Tirynthius heros
 18 aurea ab Hesperio mala dracone tulit.
 19 Et celebrer scriptis, et factis clarus habetor.
 20 Carmina Peligno proxima lude seni.
 21 Prima tuos ignes recitabunt ludicra, toto
 22 prospera versiculis vivet in orbe tuis.
 23 Tristia post laetos vulgabis carmina versus,
 24 et dices patrio proelia facta solo.
 25 Signaque Sarmatici victricia regis et arma
 26 vidit Pellaei quae ducis ara canes.
 27 Arma per infecti disjecta Boristhenis undas,
 28 cumque suis armis corpora vasta virum.
 29 Magna tibi semper fulgebit gratia regum,
 30 quorum munificas experiere manus.
 31 Tum peregre populos varios visurus et urbes
 32 ibis, et externis gentibus hospes eris.
 33 Cimbrica namque leges prima formose juventa
 34 litora, permensus Baltheon ante fretum.
 35 Acre virum genus, et validos Saxones adibis.
 36 Omne per Hercynium progrediere nemus.
 37 Innumeros late populos, gentesque videbis
 38 quas claudunt gelidis Rhenus et Ister aquis.
 39 Italiae posthac et opes miratus et urbes
 40 audebis vastos per maris ire sinus.
 41 Alcinoi veteres primum mirabere sedes.
 42 Alta tibi hospitium deinde Zacinthus erit.
 43 Atque Epidaurus, ubi serpentis imagine cultus
 44 indigenis Phoebos natus in aede fuit.
 45 Atque Rhodon Phoebos claram, et magno Jove Cretam
 46 et Cypron Idaliae regna superba deae.
 47 Et Syriae populos, et inhospita vasta videbis,
 48 qua non aequoreo tutius exstat iter.
 49 Quin et adorabis sacrum quo condita passi
 50 lurida sarcophago membra fuere dei.
 51 Quaeque Palaestinas loca sunt veneranda per oras
 52 Bethlemiumque larem Calvariaeque solum.
 53 Denique Trinacriam, fumantemque ignibus Aetnam
 54 conspicias, Siculo praeteriture freto.
 55 Claram et Parthenopen peragrabis, et Appula juxta
 56 arva, et Campani rura beata soli.
 57 Atque orbis dominam victi mirabere Romam,
 58 quicquid et in tota visitur Ausonia.
 59 Mox iterum regumque aulis, regumque vacabis
 60 conciliis : regum laus erit arma sequi.
 61 Regius Augusti vives orator in aula
 62 jussus ad Euganeos saepius ire patres.
 63 Ista quidem mediis jam tum perfeceris annis
 64 pectus et ingenium testificata tuum.
 65 Cum decorata sacrae lambent tua tempora laurus
 66 Caesaris invicta munera lata manu.
 67 Quod reliquum est vitae spatium, nam longa beato
 68 pollicita est facilis stamina parca tibi.
 69 Curret id omne tibi feliciter, et tenor unus
 70 unus erit vitae cursus ubique tuae.

71 Et non est oneri tibi sera futura senectus
 72 sed viridis, sed quae rara venire solet.
 73 Ipse tuas augebit opes, augebit honores
 74 rex tuus, ingrata ni volet esse manu.
 75 Sic cecinit Phoebus. Phoebos cessante sorores
 76 lanificae nivei staminis orsa trahunt.
 77 Solvebat magnum Lucina facillima partum.
 78 Et positum est utero dulce parentis onus.
 79 Natus es in lucem, lux o generosa tuorum.
 80 Felicem o genium terque quaterque tuum.
 81 Natus es auspiciis diis, et Junone secunda.
 82 Fila quater vitae terque beata tuae.
 83 Sed jam convivae plausum date. Pocula sumat
 84 quisque simul mecum et talia voce sonet :
 85 vivat io Dantiscus, io laetum exigat aevum
 86 vivat io patriae, vivat io ille suis.
 87 Est bene, non votis optamus inanibus ista
 88 risit, et optatis annuit ipse deus.

ELEGIARUM LIBER.

AD JOANNEM THURZONEM ANTISTITEM VRATISLAVIEN. ELEGIA.

P4_1 v.1 Grande cothurnato meditatus lemmate carmen
 2 orsus eram altiloquo nectere verba pede,
 3 jamque fatigabam Grynæi numina Phoebi,
 4 vellet ut inceptis rite favere meis.
 5 Phoebe, fave dixi, nequicquam sancta vocantur
 6 numina fatidici terque quaterque dei.
 7 Quaeso reluctantem quae te modo causa moratur
 8 quo minus optanti dexter adesse velis ?
 9 Suscipit haec contra increpitans deus : ardua res est
 10 condere grandiloquis carmina tanta modis.
 11 Quippe nec ingenio tempus, neque viribus aetas
 12 suppetit, imparibus ludere disce modis.
 13 Hoc bene, sed tenerum levis est elegeia carmen
 14 non quod ad heroum grandia gesta facit.
 15 Sic ego. Sic vultu crinitus Apollo minanti,
 16 quid facis ingenio crux inimice tuo ?
 17 Aude humiles elegos, et jam rude condere carmen.
 18 Saepius exiguis gratia major adest.
 19 Respice Minciadem tenui qui carminis orsu
 20 ante virum culicem lusit, et ore rudi.
 21 Talibus admonitus princeps mitissime dictis
 22 verba per undenos molior ista pedes.

23 Turzo serenato lege frivola carmina vultu
24 cum vacat oblitus numinis oro tui.

AD EUMDEM. ELEGIA

P4_2 v.1 Jane bifrons annique sator, nam te auspice Phoebus
2 dicitur alternas ire redire vias.
3 Magnus eras templi ferratis postibus olim
4 dictus inoffensas pacis habere seras.
5 Et quoties per te veniens novus affuit annus.
6 Omnia Romano laeta fuere foro.
7 Munera quin etiam miserunt grata vicissim
8 Italidesque nurus Ausonidaeque viri.
9 At tua festa piis nunc sanctior usibus aetas
10 vertit, et haec abiit in meliora dies.
11 Namque Panomphaeus terris quo tempore primum
12 Christus Idumaea virgine natus erat ;
13 et gens Eoa de sede profecta, tonantis
14 isse per ignotos ad sacra tecta locos,
15 et petiisse casas humiles, et squallida longo
16 antra situ, pueri fertur adisse dei :
17 Caspar odoratae cum frustra nitentia myrrhae,
18 munera pactoli Melchio fulva tulit.
19 Ultimus inflexo veneratus poplite Christum
20 rite dedit puero mascula tura Jovi.
21 Hinc sua Christicolae certatim munera gentes
22 comiter alternis dant capiuntque modis.
23 Indus ebur tersum candentia munera mittit
24 mollia dant Seres vellera, molle pecus.
25 Tura Sabaeus habet, plenam largitur acerram.
26 Munera dat socio Phryx opulenta suo ;
27 denique dives opes, atque officiosus haberi
28 pro solita quisquis condicione cupit.
29 Et quoniam nec opes, nec habet quae mittat amicis
30 munera, dat nugas ipse poeta suas
31 quas tibi nostra modo sic officiosa volebat
32 non expers ritus mittere musa sacri.
33 Sed pudet exiguum pangenti carmina carmen
34 mittere, et in densum ponere ligna nemus.
35 Nec tibi Nelei exoptem bene Nestoris annos
36 nam tibi morte carens nec leve numen inest.
37 Scimus, at hoc saltem merito nunc jure precamur
38 possis aethereas serus inite domos.
39 Thurzo diu terris, sero dominaberis astris
40 plaudo, favent votis diique deaeque meis.
41 Serius accumbens superis ut pocula sumas
42 mista tuo Phrygia cum genitore manu.
43 Quem reor indignis mortalibus abstulit olim
44 concilioque deus jussit adesse suo.
45 Cetera tu tibi das et dii, tibi copia cornu
46 grata favent gratis numina numinibus
47 non humana tamen complectere secius ora
48 numinis oblitus, Turzo beate, tui.
49 Perge, neque hoc moneo sed quod facis usque probamus
50 sancte pater patriae noscere perge tuos.

AD EUMDEM. ELEGIA III. EX URBE ROMA MISSA.

P4_3 v.1 Hic ubi facta, patris nunc stant in colle Quirini
 2 marmora Praxitelis Phidiacaque manu
 3 quos olim aurigas et equos e marmore vivo
 4 cepit ab Armenio munera rege Nero.
 5 Ducit in Esquilias demisso tramite clivus,
 6 area vimineum qua patet ante jugum.
 7 Vitigeros inter colles Lenaeia dona,
 8 ostendit vernas quaelibet arbor opes.
 9 Albicat hic cerasus fecunda, et amygdalus illic
 10 purpureum profert deliciosa caput.
 11 Parte alia pingues oleas, aliaque cupressus
 12 coniferas, alia citria parte vides.
 13 Ipsa etiam dives florum per amoena vireta
 14 explicat herbosos undique terra sinus.
 15 Huc ego tristities quoties gravis angit, et aegrum
 16 cura, dolorque premunt, incommitatus eo.
 17 Scilicet haec nobis restant solacia tantum
 18 hic ego tot casus et mea fata queror.
 19 Ac veluti raptos philomela sub arbore densa
 20 orba recens pullos irrequieta gemit.
 21 Forsitan et dulci questu levat aegra dolorem,
 22 quem, puto si taceat, sentiat illa magis.
 23 Sic mihi cantanti prosunt quae tristia quondam
 24 scripsit ad Euxinam carmina Naso Tomum.
 25 Sive Venusini numerosa poemata vatis
 26 sive levant nostrum carmina nostra malum.
 27 Haec mihi si prosunt nostri tantummodo versus,
 28 Pierios falsum est fruge carere modos.
 29 His ego praesentes possum lenire dolores,
 30 his ego post obitum vivere posse reor.
 31 Namque pater medicam mundo qui tradidit artem.
 32 Miscuit in dulci carmine Phoebus opem.
 33 Divitiae valeant, gemmae valeatis et aurum
 34 carmina divitias vincere sola queunt.
 35 Nostra Philippaeos ignorant tempora nummos,
 36 at non Maeonii grande poema senis.
 37 Rarus et in fulvo Augustus nunc cernitur auro,
 38 multus at in versu, Flacce poeta, tuo.
 39 Vos modo queis populos ac totum contigit orbem
 40 imperio, et valida sceptrata tenere manu
 41 credite divinis o credite vestra poetis
 42 nomina, non gemmis picta, nec aere manent.
 43 Talia dum veteris moveo sub colle Quirini
 44 ludor, et heu Zephyri tristia verba ferunt
 45 tunc venit in mentem tua cognita, Thurzo, voluntas
 46 in nos, et constans qui solet esse favor.
 47 Tunc etiam dictis linguam exsecramur acerbis
 48 nos quae mendaci detulit ore tibi.
 49 Haec fuit in causa modo, ne Thurzeida nostram
 50 Martia perfecto carmine Roma legat.
 51 Tum quaecumque mihi peperit mala, tempore dicam
 52 cuncta suo, atque illud non leve carmen erit.

53 Illa mihi solvet dignas temeraria poenas.
 54 Et pudor et nostri carminis Ibis erit.
 55 Sed nunc laeta canam Thurzo duce, et auspice Thurzo
 56 quandoquidem redeunt omnia laeta mihi.
 57 Hic reducem ad patrias accersere cogitat aedes
 58 spondet et afflictis sedulo rebus opem.
 59 Audio, et haec tanto mihi nunc de principe certo
 60 polliceor, curam spes mihi certa levat.
 61 Atque haec dum meditor ventum est ad proxima Claudii
 62 usque ruinosae tecta vetusta domus.
 63 Martius hanc subter campus jacet. Hic ubi Roma
 64 consulibus fasces et nova jura dedit.
 65 Candidus his olim civis descendit ab hortis
 66 pone jacent Clario templa dicata deo.
 67 Despicio tumulo Romana palatia ab alto
 68 et septem colles urbis, et urbis opes.
 69 Alme Quirine, tuo quamvis ego colle libenter
 70 ambulo, me quamvis grata vireta tenent :
 71 o laetae Esquiliae magnorum vos loca vatium
 72 quas ego nonnullis praefero deliciis.
 73 Meque, licet diri per mollia prata Neronis,
 74 Vaticana modo visere templa juvat.
 75 Isse vel ad flavi viridantem Tibridos alveum,
 76 aut loca Janiculi propter amoena placet.
 77 Quamvis perpetuo Roma aurea vere tepescis
 78 totque pios vates ingenuosque foves.
 79 Quamvis et gelidam late jacet omnis ad arcton
 80 Slesia, non est te vilior illa tamen.
 81 Hic quoque grata colunt Aganippides antra puellae
 82 haec etiam mire nunc loca Phoebus amat.
 83 Nec desunt illis, queis sunt modo carmina cordi
 84 nostra quibus curae vita sit, atque salus.
 85 Nec tam Vergilium Caesar dilexit : Horati
 86 Tuscus eques musis non ita dexter erat
 87 ut solet esse viros Thurzo propensus in omnes
 88 quorum Castalius perluit ora liquor.
 89 Nil prius esse putat bene quam donare poetas
 90 tam colit, et tanti nomina docta facit.
 91 Thurzo pater vatium, vates celeberrimus idem
 92 idem Pierii portus et aura chori
 93 auspice te sanctis non desperanda poetis
 94 otia, non vitae commoda quaeque bonae.
 95 Sit satis ista tibi nunc deproperasse repensque
 96 littera versiculis clausa duobus erit.
 97 Nostra, nihil majus dictis neque verius istis,
 98 pendet ab auxilio vita salusque tuo

AD JANUM THURZONEM JUNIOREM ELEGIA.

P4_4 v.1 Dicat io Paeon mecum quicumque poetas
 2 proluit Aoniis ora beatus aquis.
 3 Cui studium laudare viros heroas, et alta
 4 inclyta virtutis gloria mente sedet.
 5 Cui labor incumbit praestantia facta canendi,
 6 et celebre in magnum ducere carmen opus.

7 Quae non terra pios debet tibi maxime natos,
 8 Thurzo, sub Arctoo qualibet axe jacens
 9 primum Sarmaticae felicia moenia Crocae
 10 olim quae populis tot peperere bona.
 11 Clarior urbs Delo, partu licet illa deorum
 12 mota prius, medio stet modo firma salo.
 13 Euge nec inferior Cretaea nobilis Ida
 14 croca, licet puerum protulit illa Jovem.
 15 Felix o genitor, felix ante omnia mater
 16 tot bona qui genuit, tot bona quae pepetit.
 17 Debuerint alii patriaeque penatibus et diis
 18 debebunt Gepidae plurima, Thurzo, tibi.
 19 Acceptos referat tibi grata Polonia natos,
 20 quaeque tuo clara est Pannonis ora satu.
 21 Vindelicis Augusta jacens late inclyta terris
 22 participem generis se probat esse tui.
 23 Praesule quinetiam decorata Silesia tanto
 24 ipsa modo grates, ut tibi debet, agit
 25 Marcomanique acres et leni flumine Mora
 26 manibus exoptant optima quaeque tuis
 27 utque nihil sancto est antistite dignius illic
 28 sic sibi perpetuo vivat ut ille rogant.
 29 Nec tibi praetulerim fecundi Thurzo Metelli
 30 fata, viro soboles cui numerosa fuit.
 31 Namque tui obstringunt, laus est ea maxima, nati
 32 officio reges et pietate deos,
 33 Quos ego vulgatis laudavi versibus olim.
 34 Cognitior virtus carmine vestra meo est.
 35 Jam legitur vestrum Germana per oppida nomen
 36 nec vos ignorat carmine Roma meo.
 37 Usque sub extremos manavit vestra Britannos
 38 gloria, Thurzones Betica regna legunt.
 39 Quae quondam implicitus curis turbata profudi,
 40 Musa rudis, verum est officiosa mihi.
 41 Eveniant per vos optata sed otia nobis,
 42 otia Pieriis semper amata choris.
 43 Addictum domui vestrae ne spernite vatem,
 44 namque ego nonnullo tempore vester ero.
 45 Quique mihi patrio tantum estis nomine dicti
 46 tunc cultum proprio quisque videbit opus.
 47 Jamque legit nostros antistes uterque labores
 48 pagina et amborum nomine nota mea est.
 49 Proxima Gaeorgi dabimus tibi carmina, nec tu
 50 Ursini tacitus praeteriere modis,
 51 tum vos, o juvenes, vos o concordia fratrum
 52 pectora, felicis pignora clara domus
 53 vos ego cantabo illustres. Te comis Alexi
 54 quique mei nomen praesulis alter habes
 55 pulcher Joannes nostris decus addite terris
 56 gaudeat aucta novo Slesia cive sibi.
 57 Dii tibi virtutem patriam formamque dedere,
 58 et plenum Clario numine pectus habes.
 59 Non opibus tradis mores. Verum optime rerum
 60 moribus ingenuis rite tueris opes.
 61 Vive dature meis nomen studiumque camenis
 62 non cessare meam qui patiare chelym.

63 Atque haec pauca. Domus vestrae mirator ubique
64 quae dedit Ursinus, carmina dexter habe.

PRO R. ANTISTITE JOANNE VRATISLAVIENSI AEGROTO VOTUM.

P4_5 v.1 Dii votis soliti nostris ubicumque vocari
2 qui facili justas carpitis aure preces
3 et varios hominum sueti miserescere casus
4 in melius vestra cuncta refertis ope,
5 quique intentantem generi discrimina nostro
6 passibus impigris anticipatis Aten,
7 si tetigere preces umquam pia numina nostrae,
8 venit<que> ad vestros justa querela pedes.
9 Nunc audite graves questus, et amara bonorum
10 haec singultanti verba refracta sono.
11 Vosque meum moveat cum primis lugubre carmen
12 tot manant lacrimae quot modo verba mihi.
13 Qui vestras nullo non munere sedulus aras
14 excoluit, ritus instituitque novos
15 templaque, templorumque pium instauravit honorem
16 exstet ut in toto plurimus orbe deus.
17 Ecce tot in menses vester, miserabile, cultor
18 languidus affecto corpore Thurzo jacet.
19 Saevit, et atra lues miseros depascitur artus.
20 Et populat vires acre furensque malum.
21 Incumbit macies deformis, et aegra dolentis
22 membra labant, solitos respuit ille cibos.
23 Rarus, et haud facilis claudit sua lumina somnus.
24 Noxque die longa longior esse solet,
25 cujus si pietas non pectora vestra moveret
26 cor saltem patiens conciliaret opem.
27 Vestra licet plene clementia nota sit illi
28 ille tamen vestrum postulat arbitrium.
29 Anna parens Mariae, tuque o sanctissima virgo
30 mater, et o nati filia certa dei,
31 et qui clamasti deserta per avia Christum
32 agnifer, hoc tantum natus in orbe minor.
33 Tuque o prosper ades servator, et omnia firma
34 rex divum atque hominum Christe supreme sator
35 vos coluit, vos hic donis impensius auxit.
36 Effigies vestras sustinet ara frequens.
37 Primos ante alios vobis decrevit honores
38 officiisque piis assiduaque prece.
39 Vos placidi, istorum memores, servate dolentem
40 et sit opis vestrae convaluisse virum.
41 Este, potestis enim, auctores praesentibus illi
42 auxiliis vitae longius incolumis.
43 Quae non mirificis Oetae filia succis
44 quaeque Machaoniae non potuere manus
45 sollicitique animum cum despondere medentes
46 et conclamatus cum jacet aeger inops.
47 Vincitis immites fatorum numine leges
48 vis Erebi vobis, arbitriumque subest ;
49 Persephonesque manum nutu prohibetis avaram
50 vellere ne crinem, quem petit illa, queat.

51 Vos, o vos gemitu nunc obtestamur acerbo
 52 et vestros lacrimas fundimus ante pedes.
 53 Tollite vim morbi, tristemque avertite casum.
 54 Non haec vulgaris causa salutis erit.
 55 Non hoc incolumi vitam debebimus omnes
 56 unius. Haec multis commodat una salus.
 57 Atque erit istius non vilis gratia facti
 58 et non exiguae sedulitatis honor.
 59 Tempia pii mystae servati ante ora subibunt
 60 praesulis, et templis sospita sacra ferent.
 61 Ipse autem teneram summa ante altaria mannam
 62 sparget, odoratum sufficietque nemus.
 63 Deinde pii vates, vatum cum principe Phoebos
 64 Pieridesque novem numina casta deae
 65 carmina cantabunt, servatae praemia vitae.
 66 Suspensum paries semper habebit opus.
 67 Stabit, et ad reliquas laudes non ultima certe
 68 gloria perpetuo muneris hujus erit.

AD JOANNEM CUSPINIANUM PRAEFECTUM URBIS VIENNAE, ELEGIA.

P4_6 v.1 Natus in Arctois ego, Cuspiniane, Selingis
 2 asper ubi coluit rura paterna Quadus
 3 paene puer cecini, tibi non nisi nomine notus,
 4 carmina iudicio saepe probata tuo.
 5 Hac mihi laude sacrae crevere in carmine vires
 6 instar enim Phoebi Cuspinianus erat.
 7 Quae mihi misisti, illius divina putavi
 8 verba dei, docta verba notata manu.
 9 Ursini, memini, nomen mihi dulce dedisti
 10 hoc ratus ingenium commeruisse meum.
 11 Credo equidem non hoc nomen sine numine divum
 12 auspice te, spreto rite priore tuli.
 13 Forsitan ipsa suo natum sub sidere vatem
 14 hoc dici voluit Parrhasis ursa modo.
 15 Candida quinetiam doctorum corda virorum
 16 nomen, et ingenium concoluere meum.
 17 Barbarus et sacra procul editus urbe Quirini
 18 urbis ego vates illius inter eram.
 19 Ausus enim Arsillus nos annumerare poetis
 20 illic quos celebres tempora nostra ferunt.
 21 Non minus est etiam Blosi mihi nomine nomen.
 22 Et sibi me patitur Lilius esse parem.
 23 Et conferre suis audent mea carmina Vidas
 24 laudat et ingenium Phaedrus amatque meum.
 25 Cumque suis nostros vulgavit Scipio versus
 26 Attica quos dictat Calliopea mihi.
 27 Ipse suas Cataneus operas mihi saepe videndas
 28 misit, et historias Jobbius ipse suas.
 29 Saepe meos recitans versus Porcarius, inquit,
 30 non multum Andino distat hic a culice.
 31 Bembus, et hoc verum est, quoties mea carmina legit,
 32 "Ten", ait, Ausonii sanguinis esse negem?"
 33 Pamphilus hoc etiam dixit cognomine Saxus,
 34 cujus sum magno carmine notus ego.

35 Tu mihi saepe tuos versus, ego docte Coloti
 36 Coritio cecini teste, subinde meos.
 37 Esse meas aliquid nugas Jodece putasti
 38 dignum et quod ferres carmen ad ora virum.
 39 Me tamen ante alios juvenis Vitalis honorat
 40 digna Sophocleo qui canit orsa pede.
 41 Me tibi conjunxit Monachus Beroalde severus
 42 qua jacet Etrusco Sena quieta solo.
 43 Novit me Thamiras, et me Sadoletus amavit,
 44 dux atque Ausoniae cultor uterque lyrae.
 45 Atque alii, quorum non est modo dicere nomen
 46 et decus et saeculi limina magna sui.
 47 Hinc ego si laudem tam nomina docta, quis oro
 48 non malus officium crimen habere putet ?
 49 Non equidem idcirco videor, modo sana notarint
 50 pectora, Germanos dedecorasse meos.
 51 Saepe mihi media defensa est carmine Roma
 52 Teutona, cumque suis Teutona terra viris.
 53 Nec tibi Roma tuas felix Germania laudes
 54 invidit, cum esses carmine dicta mihi.
 55 Saepe meo legitur celebratus Capnio versu.
 56 Notus ab hoc nostro carmine Celtis erat.
 57 Et meus Aeneadum celebrer Vadianus in urbe est,
 58 hos inter nomen Cuspinianus habet.
 59 Longa nimis fuetit nomenclatura virorum,
 60 dictaque versiculis nomina docta meis.
 61 Esto igitur procul hinc malesana calumnia, nemo
 62 arguerit nostrum candidus officium.

AD EUMDEM JOHANNEM CUSPINIANUM, ELEGIA.

P4_7 v.1 Inter magna tibi commissa negotia divi
 2 Caesaris et curas, Cuspiniane, graves.
 3 Dum tua Pannonias felix industria gentes
 4 servat in officio, principibusque vacas.
 5 Incumbitque tibi vis irrequieta laboris
 6 Caesarei, et magnis rebus habere ratus.
 7 Tu genus Aeneadum, et magnae incunabula Romae
 8 sedulus immensa texis in historia.
 9 Incipis, et Bruto finis in consule reges.
 10 Agnoscit fasces Martia Roma suos.
 11 Nomina Caesaribus, vitasque et singula reddis
 12 facta, prius nullis commemorata refers.
 13 Quaeque aut invidia, aut vitio neglecta maligni
 14 temporis, Almani sanguinis acta latent
 15 promissio aeternis rediviva laboribus, et jam
 16 non fraudata suo nomine cuncta vigent.
 17 Si quid habent manes sensus, laetantur Othones
 18 atque Bavarorum dia propago ducum.
 19 Et quibus a pace est nomen nostrate, sed ingens
 20 exstat honos forti partus in orbe manu.
 21 Tum quod successit, tum quod manavit ab illis
 22 omne genus debet, Cuspiniane, tibi.
 23 Ille autem, cujus nunc munere fungeris, ingens
 24 Caesar, et Austriacae gloria summa domus.

25 Quique extrema tuis accedit gloria libris
 26 quas tibi non grates ille referre paret.
 27 Fecerit hoc merito, de quo tu maxima scribis
 28 pervigil, et pro quo magna subinde facis.

AD MARIANUM ELEGIA.

P4_8 v.1 Natus in arctois cum sim Mariane Selingis
 2 quaeris Caesareum cur ita numen amem,
 3 Romanasque aquilas, Germanaque signa, virumque
 4 victrices toto semper in orbe manus ?
 5 Mille tibi ex templo possim cum dicere causas,
 6 e causis fuerit milibus una satis.
 7 Caesaris ingenio fastosa potentia Galli
 8 quae fuit invicto Marte parata ruit.
 9 Irrequieta mari gens quae dominatur in alto
 10 divitiis aequae consilioque potens
 11 lenta quidem sensit, quam Caesaris ira noceret
 12 cujus adhuc nondum sensit obesse manum.
 13 Expertus dixit rex deinde Britannus, amicum
 14 jure mihi debes Caesar, et esse pater.
 15 Primus enim Caesar pugnam feliciter orsus
 16 cepit cum ducibus Gallica signa suis.
 17 Hunc quondam dives sibi legit Iberia regem
 18 jam rex Hesperio vivit in orbe nepos
 19 Julius alter, et hoc in commoda publica dixit.
 20 Hortatus lingua deficiente patres
 21 Caesarem amate pium. Romani summa potestas
 22 Praesulis, imperio statque caditque suo.
 23 Deinde Boristhenio de litore, litus ad Istri
 24 quam cito Sarmaticos vidimus ire duces.
 25 Et nunc justa ciet fortes in bella phalanges
 26 ac ferro ad magnum fulminat Eridanum.
 27 Non sequitur Parthos fugitiva nec agmina Thracum,
 28 nec premit imbelles post sua terga Getas.
 29 Sed regnis iterum Ausoniae Insubriumque potenti
 30 indomitos Belgas exuit imperio.
 31 Atque iterum infestos proceres iterumque rebelles
 32 Adriacos frangit Marte vir iste suo.
 33 Quid memorem quantum est ausus puerilibus annis
 34 regem hunc regalis senserat Alba suum.
 35 Bis sex commisit cum milite proelia Gallo.
 36 Sequanicis toties victor abivit agris.
 37 Inde duces regesque, et quicquid gentis ubique est
 38 inclyta magnanimi Caesaris ora colunt.
 39 Si qua tamen nondum tam sanctum numen adorat
 40 patria, quam fastus cernere recta vetat
 41 crede mihi vel nescit adhuc heroa potentem
 42 vel nimium fidit viribus illa suis.

DE AEDIBUS GEORGII TANSTETTER COLIMITII MEDICI ET MATHEMATICI, ELEGIA.

P4_9 v.1 Advena musarum chorus et Pataraeus Apollo,
 2 diaque Mercurio cum duce Pallas erat.

3 Quaesivere diu bene quo divertere possent
 4 solliciti in tota Caesaris urbe, locum.
 5 Pannoniae in fines sacro ex Helicone profectis
 6 "Ecquis, ait, nobis Cynthus hospes erit ?"
 7 Praeteriere forum. Verum haud accommoda musis
 8 turbida clamosi sunt loca visa fori.
 9 Alta dehinc culti subierunt tecta Lycei :
 10 aptus erat, sed non optimus iste locus.
 11 Hinc non digressi longe, Cyllenius Hermes
 12 tum Collimitii substitit ante fores.
 13 Et dixit : "Musae Libethrides, et bona Pallas
 14 arbiter et nostrae Phoebe diserte lyrae
 15 si lubet, his mecum patiter succedite tectis.
 16 Possumus hospitio non meliore frui."
 17 Candida Mercurio paret bene turba monenti
 18 et subit excultae limina casta domus.
 19 Vidit uterque deus, socia et cum Pallade musae :
 20 videre ingenii munera quisque sui.
 21 Admirata novas artes Tritonia Pallas
 22 "Non est hic nostri nescius hospes", ait.
 23 Proinde deae atque dei aeternum data tessera servet
 24 hospitium nobis incolumemque larem.
 25 Hic et convenient docti tantummodo vates.
 26 Nec temeret castam turba profana domum.
 27 Assensere omnes dictis, sua quisque repente
 28 signa dat hospitii non abolenda sacri.
 29 Inde tot ingenii cultus homini, inde beatis
 30 usque frequentatur vatibus ista domus.

TUMULUS STIBORII.

P4_10 v.1 Quae dea quae tumulum juxta obversatur, et altum
 2 ingemit, effusas dilaniatque comas ?
 3 Atque isthaec quae pompa : quis o miserabile, tantus
 4 occidit, ut tangant haec quoque fata deas ?
 5 Assidet Uraniae huic tumulo dea praefica, voces
 6 fundit et has : "Gemite o, noster et iste fuit
 7 Stiborium ingeminate deae, ingeminate sorores
 8 instar eant lacrimae fontis ab ore pio.
 9 Jucusasse juvet, quae non mutare potestis
 10 fata virum et durae vincula Persephones.
 11 Crudelis Libitina, o et crudelia fata,
 12 mortis et o leges ex adamante graves.
 13 Interea mecum, o mecum haec iterate sonantes.
 14 Spargite odoratis frigida membra rosis.
 15 Rore et Acidalio Ambrosiaque lavate jacentem
 16 dicite et aeternum floreat hic tumulus.
 17 Ipsa autem gradiens nota inter sidera caeli
 18 spectet, et haec fieri gaudeat umbra sibi.
 19 Mirantur stellae impavidam, miratur et ingens
 20 signifer, et prolem credit adesse deum.
 21 Excipit hanc gremio assurgens Isetis amico.
 22 Sidus ut immenso luceat orbe novum.

EPIGRAMMATON LIBER

AD DUCEM JOACHIMUM SLESIAE.

P5_1 v.1 Haec quoque pars nostri, tibi dux generose, libelli
 2 altera, pacata fronte, legenda venit.
 3 Digerit haec triplex series epigrammata, prima
 4 concelebrant, laudem qui meruere, viros.
 5 Altera, sed ficto mordentia nomine quosdam,
 6 exigua manant fellis amaritie.
 7 Ultima decantant nostros moderatius ignes.
 8 Quae vel inoffensus legerit Hippolytus.
 9 Nil hic invenies mores quod laedere possit
 10 laudo placens, lenis carpo, pudicus amo.

IN CAESAREM VENANTEM.

P5_2 v.1 Si quis adhuc hominum dubitat, mitissime Caesar,
 2 te non vulgaris numen habere dei,
 3 jam sciat hoc, nudam vidisti impune Dianam,
 4 dum sequeris cervam per juga summa levem.
 5 Ira deae fatum meditata Actaeonis, undas
 6 sed frustra ultrici sparsit in ora manu.
 7 Proinde rata esse patrem vultum demisit humique
 8 fixa verecundus repisit in ora pudor.
 9 Atque ait : "Arridens, quid me pater optime tentas
 10 corpore an hoc dubitem, stulta, latere Jovem ?"

DICTUM JULII PON. II. DE CAES. MAXIMILIANO,
 QUEM VENETI APPELLAVERANT CYPHRAM.

P5_3 v.1 Caesaris arma Senon, verum haud impune, superbus
 2 risit, et in vili Caesaris ira fuit.
 3 Risit idem tumidus, contempsit et Adria nomen
 4 nunc cui lenta nimis Caesaris ira nocet.
 5 "Julius his, inquit, sapientior : hunc bene regem
 6 in numero nihili dicitis esse notam.
 7 Sum decies, quam solus, ego cum Caesare major
 8 vos tandem hinc unum perdidit, atque nihil."

D. CAES. MAXIMILIANI EPITAPHIUM.

P5_4 v.1 Ut pius et clemens, Augustus, et optimus esses
 2 praebueras olim, Maximiliane, tibi.
 3 Ut felix ageres atque ut post munia vitae
 4 ipse deus fieres, dii tibi praebuerunt.

AD LECTOREM.

P5_5 v.1 Cur ita digessi forsitan mirare libellos
 2 atque haec cur series visa sit apta mihi.
 3 Ferdinandus habet primas, Thurzoque secundas ;
 4 tertia speranti sunt loca facta tibi.
 5 Proxima dux Joachimus habet, sunt ultima Petro.
 6 Forsitan haec ita tu dinumerare soles.
 7 Quorum si virtus lancem trutinetur ad aequam
 8 hic tibi vel medius nemo, vel imus erit.

IN AUGUSTISS. CAROLUM V. CAESAREM DESIGNATUM

P5_6A v.1 Qui caput Eois rutilum sol exeris undis
 2 et celer Hesperia lampada tingis aqua :
 3 Carolus occiduo tibi sol occurrit ab orbe.
 4 Alter, et Eoo hic tinget in amne caput.

ALIUD IN EUMDEM.

P5_6B v.1 Phoebe, die terras radiis quot percutis uno
 2 uno omnes cepit Carolus ipse die.
 3 Parce, neque invidias, nam te non signior ille
 4 imperio, cursus aequat in orbe tuos.

ALIUD.

P5_6C v.1 Nunc ubi consensu regum rex Carolus aequo
 2 Hesperias nostris viribus auxit opes,
 3 arma petant alium victricia protinus orbem,
 4 nam supplex victas porrigit iste manus.

INCLYTI REGIS LUDOVICI PANNONIAE LUDENTIS, ARGUTE DICTUM.

P5_7 v.1 Forte prior geminos sortitus Porsena reges
 2 rexque duos, ludo Porsena victor erat.
 3 Cui rex praerepto subito haec ait aere "Duobus
 4 regibus ut vincam tertius addar ego."

AD AMPLISSIM. D. LADISLAUM ZALCANUM ANTISTITEM BACCIENN.

P5_8A v.1 Regia cum tractes, Zalcan, negotia solus
 2 nec tibi luce quies, nec tibi nocte venit.

3 Ipse tamen versus et docta poemata condis
 4 miror inauditae dexteritatis opus.
 5 Rite deum nate auspiciis, et Apolline dextro
 6 utraque namque hujus munera solus habes.
 7 Veridico antiquos ornare numine Delphos :
 8 carmine Parnassi praeficerere jugis.

AD EUMDEM.

P5_8B v.1 Quaelibet Augusti felicia dixerit aetas
 2 saecula, temporibus praetuleritque suis,
 3 quod Maecenatem, clarumque tulere Maronem.
 4 Altius haec aetas, quod modo laudet, habet.
 5 Zalcanus largitur opes, et praemia doctis,
 6 nec patitur vates rebus egere pios.
 7 Aoniique satur laticis, palmaria servat
 8 inter Apollinei nomina prima chori.
 9 Idem Maecenas, idem Maro temporis hujus.
 10 Unus hic amborum praestat utrumque decus.

DE LITTERIS IN GERMANIA FLORESCENTIBUS.

P5_9 v.1 Itala Cecropia cum Pallade Pallas obibant
 2 passim Teutonici culta Lycaea soli.
 3 Altera vix magno in Latio, vix altera docta
 4 se tantum Cecropis sensit in urbe coli :
 5 Atque novem Phoebos viderunt auspice musas
 6 Gorgonei sacras pandere fontis aquas,
 7 et juvenes duplici texentes carmina lingua
 8 Attica Romano jungere mella favo.
 9 Admirata prior, Graeca inquit Athena, volavit
 10 huc etiam, alato Calliopea gradu ?
 11 Unde novum hoc studium, bello gens dedita Martis
 12 temperat Aoniis classica saeva modis ?
 13 Ausonis haec contra post debellata Quirini
 14 moenia Suevorum Vandalicaque manu
 15 paulatim ingenii cepit Germania cultum
 16 atque tuo, atque meo claruit eloquio.
 17 Et merito imperium qui transtulit, illicet artes
 18 transferat ingenuas eloquique decus.
 19 Sic ego Romulidas inter, dum regna manebant,
 20 inter Cecropidas maxima tu fueras.
 21 Hanc sibi regna modo usurpant victricia laudem
 22 quae claudunt dominis Rhenus et Ister aquis.

GERMANIA ITALIAM ALLOQUITUR.

P5_10 v.1 Quae tibi prae cunctis sapientior esse videris
 2 gentibus, o tellus Itala, falsa tamen :
 3 impropere Bacchum nobis cyathosque frequentes
 4 atque audi objicias qualibus ista viris.
 5 Gens mea Romanas fregit pepulitque cohortes,
 6 vos etiam in vestro terruit illa solo.

7 Nota nimis Vari clades illisaque cervix
 8 postibus Augusti Caesaris, et gemitus.
 9 Hoc quoque cui numquam potuit succumbere quale est,
 10 nunc sibi Romanum vendicat imperium.
 11 Praeterea ingenii libeat cognoscere dotes
 12 ebria quid potuit, Barbara quidve potest.
 13 Haec unam docuit nos scribere plura sub horam
 14 quam tu vix uno scribere mense potes.
 15 Et dedit hostiles muros penetrantia tela
 16 dira licet, sunt haec ingeniosa tamen.
 17 Cetera quid memorem ? Centum tibi dicere possem
 18 artes ingenii, ac strenua facta manu.
 19 Quam quid facturam, haec cum gesserit ebria, censes
 20 sicubi gens frugis ceperit ese bonae ?

AD LEONEM PON. MAX.

P5_11A v.1 Jupiter humano quoties vult lumine cerni
 2 fulmina Cyclopum ponere fertur opus.
 3 Et nisi velata non cernitur aegide Pallas
 4 aut quicumque solet numen habere deus.
 5 Sic quoque, dive Leo, pone aegida, fulmina, numen
 6 si tibi nostra voles carmina posse legi.

AD EUMDEM.

P5_11B v.1 Barbarus et tenui juvenis lare natus, ineptum
 2 hoc tibi non fecit, sed faciebat opus.

IN STATUAS CORITIANAS ROMAE POSITAS.

P5_12 v.1 Momus ut hoc acri conspexit lumine marmor
 2 exactumque omni parte videret opus
 3 nescius ipse deae in Mariam deflexit, et alma
 4 conspiciens majus Cypride numen, ait :
 5 "O quaecumque dea es, tua non sandalia carpam
 6 omnia, vel, Momo iudice, summa tenes."

DE EISDEM STATUIS.

P5_13 v.1 Quis celebrata Gnido nescit simulacra ? Merentur
 2 et laudem Venus, et Praxitelaea manus.
 3 Sed quantum haec casto Venerem dea numine vincit,
 4 et quantum puerum Cypridos iste puer
 5 illius tantum statuas haec marmora vincunt.
 6 Nam quo plura valent numina, plura favent.

IN ARTIFICEM EARUMDEM STATUARUM.

P5_14 v.1 Sansovius facta dubitavit imagine, numquid
 2 si posset, vellet fingere vocis iter.

3 Noluit hoc, ut non aetas ventura putaret
4 naturae mirum hoc esse, sed artis opus.

IN IMAGINEM SEPULTURAE DOMINICAE.

P5_15 v.1 Sarcophago positum quid fles pia mater Iesum
2 longior haec non est quam triduana quies.

AD NAZARENUM FLAGRIS CAESUM.

P5_16A v.1 Pontius Hebraeis si te monstrasset Iesu
2 talem non poterant dicere fige cruci.

ALIUD.

P5_16B v.1 Tot pro sanguineis, si perferat omnia, guttis
2 non satis humanum fecerit omne genus.

IN IMAGUNCULAM MARIAE PUERUM GESTANTIS QUAM LUCAS CRANACHIUS PINXIT.

P5_17A v.1 Viderit hanc virgo tabulam, dubitabit uter se
2 pinxerit, hic Lucas noster, an ille prior.

ALIUD.

P5_17B v.1 Qualibus infantem hunc spectas pia mater ocellis
2 talibus, o casus adspice, Diva, meos.

IN IMAGINEM CATHARINAE AB EODEM DEPICTAE.

P5_18 v.1 Hanc Catharina videns dixit mirata tabellam
2 artificii in terris huic ubi visa fui ?

IN TEMPESTATEM ET TONITRUA AB EODEM PICTA.

P5_19 v.1 Cum super impositum nemorosae Pelion Ossae
2 caelo affectavit turba profana viam :
3 vidit ab arce sua torquentem fulmina Lucas
4 aegideque horrida bella movere Jovem
5 Aeolidae melius, qui primum imitabile fulmen
6 fecit, et hoc cernens Jupiter ipse probat.

DE ARTIFICIIS INDUSTRIA.

P5_20 v.1 Naturae modulos ars ingeniosa secuta est
2 hactenus, at miras cernite ab arte vices.
3 Daedala nunc Lucae poterit manus esse pudori
4 naturae, exactae quae petat artis opem.

IN TABULAM AB ALBERTO DURER, ARTIFICUM HUIUS SAECULI PRINCIPE DEPICTAM.

P5_21A v.1 Pictus hic a ficto primum nil distat Adamo
 2 dissimilisque isti nec prior Aeva fuit.
 3 Quos prius omnipotens divino numine finxit
 4 humana Albertus pinxit, et arte nova.
 5 Paene pari inter se studio concurrere visi
 6 pictor hic Albertus, factor et ille deus.

ALIUD.

P5_21B v.1 Angelus hos cernens miratus dixit "Ab horto
 2 non ita formosos vos ego depuleram."

ALIUD.

P5_21C v.1 Forma alios aliasque rapit pulcherrimus Adam.
 2 Nam cur dissimilem ? Me magis aeva tenet.

DE IMAGINE SUA AB IPSO ALBERTO PICTA.

1 Ursinus si vocem addas ipsissimus hic sit
 2 hunc dubites pictor fecerit, an genitor.

AEDICULA CHRISTI.

P5_22 v.1 Esset ut hospitium venientis ab aethere Christi
 2 hunc posuit solido e marmore Thurzo locum ?

SACRARIUM.

P5_23A v.1 Parce sacros foedare aditus, hunc pectore puro
 2 quisquis eris mystes ingrediare locum.

ALIUD.

P5_23B v.1 Condita in hoc divum sacro veneranda supellex
 2 corde pio, et pura suspicienda manu est.

ALIUD.

P5_23C v.1 Casta placent superis, sacro succedite casti
 2 et pura insontes mente venite pii.

ALIUD.

P5_23D v.1 Hoc sacrum mystes aditure ante omnia pura

2 ora, manus, aures, lumina, pectus habe.

IN PATERAM CAROLI DUCIS SLESIAE LEONE INSIGNITAM.

P5_24A v.1 Romanis aquilam, Boemis concede Leonem
2 naviter illa volat, fortiter iste facit.

ALIUD.

P5_24B v.1 Sive vides, sive haec proavorum pocula sumis
2 macte animi, et pectus forte leonis habe.

AD R. DOMINUM SEBASTIANUM SPERANTIUM EPISCOPUM BRIXINENSEM.

P5_25A v.1 Spes bona prima fuit de te quam cepimus olim
2 ingenio longe est spes ea victa tuo.
3 Sumpta dehinc melior, verum haec quoque victa repente est.
4 Omnia virtuti succubuere tuae.
5 Optima nunc de te spes praesule capta, priusquam
6 capta fuit, votis incipit esse minor.
7 Te pietas studiumque boni, et ratio optima vitae
8 spes hominum faciunt vincere, vota deum.

ALIUD.

P5_25B v.1 Quam bene speranti cognomen, itemque Sebasti
2 nomen habes, virtus et benefacta docent.
3 Nam venerabilius te nil cognovimus uno
4 quo de spes nulli falsa recepta fuit.

ALIUD.

P5_25C v.1 Spes hominum vincis longe, et venerabilis exstas :
2 congrua nominibus vita proinde tua est.
3 Hinc si te noscet, qui convenientia factis
4 nomina praemonuit saepius esse Plato
5 ipse suis placitis per te, mirator et horum,
6 majorem vellet conciliare fidem.

DE JANO THURZONE THURZONUM PARENTE.

P5_26 v.1 Antistes magnae Thurzo fuit inclytus aedis
2 et jamolvebat mystica mente sacra,
3 cum Venus ostendens formosae casta puellae
4 lumina, legitimo torruit igne jecur ;
5 conjugiique illi sacrum instillavit amorem
6 talibus et visa est esse locuta viro :
7 "Pone sacerdotii curam, atque uxorius esto.
8 Majores nam te quos generabis erunt."
9 Slesia, Marcomani, Dacaeque, et Sarmata plaudent,

10 debuerint natos cum tibi Thurzo tuos.

EJUSDEM EPITAPHIUM.

P5_27A v.1 Thurzoni exsequiis Thurzones rite peractis
 2 nunc nati tumulum constituere patri
 3 et memori memores defuncto haec stemmata vivi.
 4 Respondent factis et bene, facta bene.

ALIUD.

P5_27B v.1 Illustres Gepidae, genio Thurzonis ab illo
 2 majus enim vobis nomen in ora venit,
 3 nunc agite ingratae fugituri crimina mentis
 4 non lugere sat est, signa dicite viro.
 5 Digna senis certe est industria Mausoleo
 6 ipse et Pyramidum dignus honore cinis.
 7 Quantum alii debent patriae, tantum omnibus annis
 8 plus et eo debet huic sua terra viro.

AD JANUM THURZONEM EPISCOPUM VRATISLAVIENSEM.

P5_28 v.1 Cultor, et o vindex divini maxime ritus
 2 sanctior antiquo religione Numa.
 3 Quid nisi divorum vanos Etruria cultus
 4 atque Sybillini conducere libri ?
 5 Thurzo flagellati sollemnia sacra tonantis
 6 quaeque sacerdotii sunt pia jura sacri,
 7 ut bene subjecti noscant sua munia mystae :
 8 aedere chalcotypis tu facis ista notis.
 9 Non satis est homines tibi devinxisse merendo
 10 reddis et obstrictos hac tibi parte deos.

STRENAM PETIT PRO QUODAM ALBIO.

P5_29 v.1 Omnes Calendis Thurzo Januariis
 2 strenam petitum ventitant.
 3 Venit ecce primus janitor domus tuae
 4 quem consecutus est coquus.
 5 Molestus est equiso, et artocopus mihi
 6 et balneator insolens.
 7 Pincerna non his segnior nos impetit
 8 strenamque postulat sibi.
 9 Me rentur esse nil, puto, nummatius
 10 cui nummulus vix unus est.
 11 Quibus daturum spondeo me singulis
 12 si tu prius dederis mihi.
 13 Et crastinum praefiximus diem omnibus
 14 cognominis diem Magi.
 15 Beate Thurzo, nil negare optantibus
 16 honesta, principis viri est.
 17 Strenam daturus oro fac ne judicet

18 illis dedisse neniam.
19 Abs te roganti quicquid Albio datur
20 tuum est, et ipse plus eo.

VESTEM PETIT PRO EODEM ALBIO.

P5_30 v.1 Saevit hiems sistuntque gelu cava flumina cursum
 2 ipse et sub triplici Sarmata pelle tremit.
 3 Hic gerit exuvias Ursi, ille accommodat agnae
 4 vellera, montanos induit iste lupos.
 5 Nulla adeo in silvis tuta est fera, convenit hirto
 6 rhenoni quadrupes quae minus apta gulae est.
 7 Solus ego texto circumdor simplice lanae
 8 et levis ex humero pendet utroque toga.
 9 Quaeque sub aestivo nobis fuit unica cancro
 10 trita sub hibernis piscibus est tunica.
 11 Qui toties nobis argentum misit et aurum
 12 agnarum viles non dabit exuvias ?
 13 Aut quodcumque libet, nam qui mihi contulit ultro
 14 magna, rogatus et hic munera parva dabit.

AD VALENT. CRAT.

P5_31 v.1 Ut volitans picto in saltu florentis Hymetti
 2 libat apis dulces ingeniosa dapes.
 3 Sancta virum excutiens itidem monumenta piorum
 4 aurea docte Valens dicta subinde notas.
 5 Tradis et innocuis praecepta salubria mystis,
 6 et fugienda bonis, et facienda mones.
 7 Instituisque hominem melius cui magnus Apollo
 8 assignet tripodem jure, Sophonque vocet.
 9 Quantum homo praestat api perfectus, Hymettia tantum
 10 mella tuis cedunt inferiora favis.

LOCUM MUSIS PETIT ACCOMMODUM.

P5_32 v.1 Sponte tua, memini, nuper me Thurzo rogasti
 2 quoque habitem somnos, quoque loco capiam
 3 et dixti, in nostris aliqua te parte locabo
 4 aedibus, ac musis conveniente tuis.
 5 Otia Pierides tranquillaque tempora poscunt
 6 grata quies Phoebo dum canit esse solet.
 7 Cum subit Aoniae studium venerabile turbae
 8 vatibus in solis convenit esse locis.
 9 Cetera perferri cuivis bene tempora possunt
 10 cum vacat, et turbis apta Thalia mea est.
 11 Pacatum concede locum solumque cubile
 12 ut melius musis et tibi Thurzo vacem.

AD EUMDEM DE CYGNI OBITU.

P5_33 v.1 Nonne tuos audis propter cava flumina Cygnos

2 maestum, et nescio quid flebile Thurzo queri ?
 3 Decantant socio exsequias reverenter olori
 4 morbus heri, aut quem fors abstulit acris hiems.
 5 Miremur certare homines pietate, fideque
 6 est etiam alitibus non dubitata fides.

AD LEOPOLDUM MEDICUM.

P5_34 v.1 Praebuit eximium facinus Pythone perempto
 2 Phoebus, et hoc potuit nomen habere dei.
 3 Non contentus eo pandens oracula Delphis
 4 fatidicos certo rettulit ore modos.
 5 Nec satis istud erat, vatium ora sacrata resolvit
 6 entheae caelestium corda furore movens.
 7 Deinde salubres medicinae tradidit usus,
 8 primus, ob hoc, ipso vix minor Aegiocho.
 9 Vatibus hic auctor clarisque medentibus idem
 10 Aonio junxit Paeoniam antra choro.
 11 Hinc mihi quae tecum nuper conflata, secundo
 12 alite, non vilis cepit amicitia.
 13 Donec erunt vatium noti, Leopoldae, labores,
 14 dumque Machaoniae creverit artis honos
 15 ipsa quidem numquam peritura manebit, et usque
 16 stabit inoffenso foedere noster amor.

AD BEATUM RHENANUM.

P5_35 v.1 O mihi post magnum, venerabile sidus, Erasmus
 2 nunc quoque vix illo, culte Beate, minor.
 3 Huc ego Pannoniam fugi venique Vienna
 4 causa fuit subitae pestis amara fugae.
 5 Et desiderium nos huc pellexit Erasmi
 6 cum desiderio, docte Beate, tui.
 7 Tota nihil vobis Germania doctius ingens
 8 forsan et haud aliquid doctius orbis habet.
 9 Sed, spes o falsas, non hic invenimus illum,
 10 et nimis Ursino est copia rara tui.
 11 Externo vagus in populo et male notus oberro
 12 nemo etiam tota notus in urbe mihi est.
 13 Exsulis hic status est, non huc aliunde profecti
 14 hospitis, exsulibus connumerabor ego
 15 nam procul a patria cum sim, desertus amicis.
 16 Cum duce nos musae deseruere suo.
 17 Quolibet hic certe desertior exsule vivit,
 18 quisquis in externa his gente duobus eget.
 19 Quae tu namque potes, per te sublimis Erasmi
 20 obtestor genium, reddere redde mihi.
 21 Saepe tuo alloquio et fecundi pectoris amplis
 22 dotibus Ursinum, culte Beate, bea.

AD CLARISSIMUM JURECONSULTUM UDALRICUM ZASIVM.

P5_36 v.1 Ursigo gratare tuo, doctissime Zasi,

2 jure mihi gaudens ut tibi gtator ego.
 3 Felix divinum Basilea recepit Erasmus,
 4 illius reditu dii quibus aucta bonis.
 5 Ipse viri vel si videam tantummodo numen
 6 omnia felicis puncta repente feram.
 7 Quem dum Pannonia digressus ab usque Vienna
 8 opperior maerens, opperiorque diu.
 9 Cimmeros inter populos errare videbar.
 10 Tristior et nigra lux mihi nocte fuit.
 11 Ecce autem redeunte dies illuxit Erasmo
 12 fulgidior semper, fulgidiorque venit.
 13 Et merito, nam qui radiis illuminat orbem
 14 doctrina, hunc faciem solis habere neges ?

AD EUMDEM ZASIUM.

P5_37 v.1 Non ego sum tanti tot quem tu laudibus ornes
 2 aut in quem nivei fuderis oris opes.
 3 Quas si fronte velim demens agnoscere laesa
 4 simia purpurea veste gravata cadam.

PRO DIVO HIERONYMO.

P5_38 v.1 Scommate Crinitus te dive laccessit acerbo
 2 doctor, et eloquio clamitat esse rudi.
 3 Scilicet et puro Tulli negat ore locutum.
 4 Et ridet plagas increpatusque dei.
 5 Cujus si levibus dignum sit credere verbis,
 6 impius ha simili crimine Gaza fuit.
 7 Audiatur Elysios gradiens ubicumque per agros
 8 Tullius, haec pudor est dixerit ista loqui.
 9 Eloquio vincis me tantum, Hieronyme, libris,
 10 quantum materia est sanctior ista meis.
 11 Sed tu fide bonis, sic post sua fata Leoni
 12 magnanimo insultat quantula praeda Lepus.

EPITAPHIUM AVI ET PATRIS.

P5_39 v.1 Hospes quod sumus hoc eris ; quod es tu
 2 hoc et nos fuimus. Sed heus quod optas
 3 ut sero cineri tuo paretur,
 4 hoc nostro cineri libens precator.

AD URBEM VIENNAM.

P5_40 v.1 Olim clara mihi Vienna cunctis
 2 felix dotibus urbicis placebas.
 3 Nunc hic Pierio manente Graeco
 4 urbs clarissima perplaces Vienna.

IN GALLOS

P5_41 v.1 Insubrium populos, ceu nomina morbus, ab ipsa
 2 gente, trahens pressit Gallica saevities.
 3 Jamque animum despondebant, jamque alta medullas
 4 depascebatur pestis et atra lues.
 5 Ecce tibi a forti medicina salubris Ibero
 6 mox inopinatum missa paravit opem.
 7 Nam veluti affectis succurrit Iberica membris
 8 arbor, et auxilium ligna reperta ferunt.
 9 Sic nunc Hispani victricia militis arma
 10 Gallorum fastus saevitiemque premunt.

IN HELVETIOS.

P5_42 v.1 Strenuus horribili framea est Germanus, et armis.
 2 Vibrantur valida Gallica gaesa manu.
 3 Ense citus piloque alacer stat fortis Ibero
 4 Romulidae non his segnius arma movent.
 5 Corpora vasta tegunt ferro clipeoque Britanni.
 6 Invictus celeri Panno probatur equo.
 7 Intrepido excellens animo, et fulgente securi
 8 Martius his colophon additur Helvetius.

AD JOANNEM FROBENIUM

P5_43 v.1 Si regum laus est ingentes condere gazas,
 2 si bene de paucis promeruisse sat est,
 3 gloria nunc regum cedat tibi, culte Frobeni,
 4 majus enim illorum laude merere decus.
 5 Aeternas qui promissas opes totumque per orbem
 6 digeris, ingenio, sumptibus, arte, manu.

AD MICHAELEM BENTINIUM.

P5_44 v.1 O cui magna suos, Bentini, Graecia fontes
 2 pandit, et Ausonium nectar ab ore fluit,
 3 quid sit, adhuc ista me quod delectet in urbe,
 4 urbis et immemorem non sinit esse, rogas
 5 accipe. Caelestis divinum pectus Erasmi
 6 et par ingenii candor, et eloquii.
 7 Dulcis Amorbachi convictus, et agnita virtus
 8 sive fidem, vitae sive tuere modum.
 9 Linguaque tam verax docti quam libera Buschi
 10 et Beri vultus non sine corde graves.
 11 Et Pelicani, verum pia cura tuendi
 12 ac recti constans ardor et aequus amor.
 13 Hos ubicumque dabis, jam non Basilea, sed ille
 14 Roma locus, non et Roma, sed orbis erit.

AD LECTOREM

P5_45 v.1 Carmina multa leges quibus hic liber auctior exstat
2 tam cito quae nequii scribere, quam facere.

DE LIBRO SUO.

P5_46 v.1 Magna suos inter nostrum visura poetas
2 Roma librum, dicet Corchorus inter olus.

BASILEA

P5_47 v.1 Urbs o beata Rauricorum finibus
2 quam Rhenus aurifer lavit
3 mediam pererrans amne laetus caerulo
4 et findit in partes duas,
5 Basilea Graio, sed Latino nomine
6 regina felix urbium
7 amoenitate Thessalum vincis decus,
8 Crotone vel salubrior.
9 Altrix alumnos educas Mavortios
10 belli domique nobiles.
11 Et officinis clara litterariis
12 depromis aeternas opes.
13 Per te nec interire cultus ingeni
14 nec fama doctorum potest.
15 Ditamur omnes omnium voluminum
16 indesinente copia.
17 Sed enim librorum dapsilem frequentiam
18 debemus hanc Frobenio.
19 Hic hic Erasmi lectitandos aureos
20 mundo libellos exhibet.
21 Hoc Atticum cum melle Romano fluit
22 auctore copiosius
23 totum per orbem. Sed nec ipsa civibus
24 nunc litteratis indiges.
25 Insignis Ammorbachios integritas
26 exornat, et rarus decor.
27 Et absoluta prorsus eruditio
28 primas utrique vendicat.
29 His dotibus virisque praepollentibus
30 urbs ter quaterque nobilis.
31 Urbem Quirini provocare gestias
32 caput Latini nominis.

AD ZASIUM.

P5_48 v.1 O non tacende maximis tu maximus
2 vir absolute vatibus :
3 Zasi potentis efficax oraculum
4 et prima laus Germaniae.
5 Rectique constans et probatus arbiter
6 responsa cujus eminent

7 ceu Delphici quondam irreprenta numinis
 8 et vatis ora Pythii.
 9 Mirare forsā cur iam bos moliar
 10 heroicis paratior.
 11 Evicit hoc maligna sors et improba
 12 et tristis aegrimonia
 13 Hic luctui consentiens versus meo
 14 doloris index ardui est.
 15 Sed o deos ne voce fractus impia
 16 aut sidera incusem magis
 17 an regna vos Neptunia, aut terrae sinus,
 18 et quicquid ubique exsecrer.
 19 Ille ille caeli gnarus unus unice
 20 rerum peritus omnium
 21 jacet ecce captus morte Collimittius,
 22 nec fata quae novit bene
 23 vitare quivit. Heu sed heu fata aspera
 24 furvaeque Plutonis manus,
 25 et iudicantis vulgus umbrarum leve
 26 Minois indemens forum :
 27 vobis licere tantum in humanum genus
 28 crudele nunc et impium est.
 29 Vos quae sorores fila vitae ducitis
 30 sed fluxa, sed brevissima
 31 quousque iniquas, antequam dies vocet.
 32 Cohibere differtis manus ?
 33 Tuque arbiter caliginosi Tartari
 34 rex Orce, nil avarius
 35 quo non et impotentius quicquam furit
 36 nec imminet damnosius
 37 unde haec voluptas exsecrabilis venit
 38 ut ante tempus devores,
 39 prolixa quae non auferet dies tibi,
 40 ut longa quamvis vixerint
 41 sed o quid esse dehinc spei reliquum potest
 42 nobis homuncionibus ;
 43 si nota caeli sidera et mundi viae
 44 dotesque telluris, viros
 45 diris nec Orci liberant arbitriis,
 46 adeoque nec saevae moram
 47 norunt parare morti. Jam valebitis,
 48 o terra, caelum, et aequora.
 49 At nos miselli jam perimus antequam
 50 pereamus, et nihil sumus.

IN PARIDEM GRAMMATICUM.

P5_49 v.1 Obvius hesternae properantem ad fercula cenae
 2 quo ferar ingrata Dispari voce rogas.
 3 "Ad cenam propero respondi, talia reddis
 4 siste gradum, sunt quae dicere pauca velim.
 5 Matutina tibi dederit jentacula pistor
 6 grata dehinc medio prandia sume die.
 7 Quinetiam mensas, bellaria, tange secundas
 8 dicere quae Graeca voce tragema potes.

9 Deinde tibi appositam modice sed carpe merendam.
 10 Eximat ut seram cena parata famem.
 11 Nunc tibi significet quid commissatio dicam
 12 servat Honoratus Servius ista male.
 13 Non etenim Latia manavit origine nomen
 14 protulit at Graeco nobile fonte caput.
 15 Quod vico egerunt veteres convivia, nempe
 16 hinc comessari dicere jure potes.
 17 Dumque mihi narras jentacula, prandia, cenas
 18 ac tot magnifice frivola verba jacis
 19 nescio quid dicas, docilis vis dispari fiam
 20 non quid significant fare, sed ista dato."

DE EODEM PARIDE.

P5_50 v.1 Priscus adoptivos si poscat Apicius umquam
 2 et mecum haeredem quaerat habere Parim
 3 nomina quandoquidem pascunt hunc sola ciborum,
 4 possum ego vix plena pellere lance famem.
 5 Nonne libros illi, queis sit satur archimagirus
 6 ipse penum moriens sed mihi jure daret

IN QUEMDAM FURIOSE SEDITIOSUM.

P5_51 v.1 Anticyrae nullo miserum purgabile succo
 2 sinciput, et labes temporis una sui.
 3 Omnibus allatrat rabiosus et omnia miscet
 4 Ajacis vere perditus iste furor.
 5 Quem bene tam vanum sapiens deridet Ulysses
 6 nam melius vinci non furor iste potest.

IN QUEMDAM FURIOSUM ET JACTABUNDUM.

P5_52 v.1 Si te vidisset Tragicus vel Comicus olim
 2 Ajax illius, Thraso sed hujus eras.

IN BARBARUM QUEMDAM.

P5_53 v.1 Nuper ut ingrederes Romam qui carmine dixti
 2 ut Roma exires barbare dignus eras.

IN EUMDEM.

P5_54 v.1 Carmine cum dixti, melioribus arridet annis
 2 arrisit Clarius non tibi, Jane, deus.

IN INVIDUM.

P5_55 v.1 Omnibus invisum si percunctabere Momum
 2 cur adeo facies emaciata sibi est ?

3 Dixerit : "Est doctis facies macilenta poetis.
4 Sunt nugae nempe est invidus, ergo macer."

IN EBRIUM ET VIOLENTUM.

P5_56 v.1 Violentus usque et usque vinolentus es
2 una addita vel una adempta littera
3 utrumque recte convenit nomen tibi.

IN PONTICUM PRO JOVIO.

P5_57 v.1 Plus nihil ac Jovium me scilicet esse fatenti
2 objicis, et nimium, Pontice, nota mones.
3 Tu contra plus es quam, Pontice, Ponticus inquam.
4 Namque soles latrax saepius esse canis.

DE FURACI EX GRAECO.

P5_58 v.1 Lysimachi pateram postquam vidisset Opheltes
2 non vidit pateram postea Lysimachus.

PRO GERMANIS ADVERSUS PONTICUM.

P5_59 v.1 Tu prius Alcidae clavam fulmenque tonanti
2 Maeonio versus abstulerisque seni.
3 Quam cyathum excutias Germano. Quattuor ista
4 ullius fieri posse negantur ope.
5 Attamen efficies tu quattuor ista, priusquam
6 Ausonio pueri. Dicere cuncta pudet.

DE EODEM.

P5_60 v.1 Cum tria sint passim fieri quae posse negantur
2 quae nemo abstulerit quamlibet ipse valens
3 robur ab Alcida, fulmen Jove, carmen Homero,
4 Pontice, quartum addis, pocula Teutonico.
5 Quattuor his gravius liceat conjungere quintum
6 Ausonio Pathici. Scis, puto, quid sequitur.

AD ATTICUM.

P5_61 v.1 Vir Sabius quoties prodit cum conjuge Martha
2 pone duos pueros ducit, et ante duos.
3 Filiolum e palace Sabius procreavit, et illa
4 filiolum anteaquam nupsit, utrumque nothum.
5 Dein juncti totidem sociali lege tulerunt
6 quos prae se ducunt, Attice, scire potes.

DE THELESINA.

P5_62 v.1 Templā sacerdotum raro Thelesina frequentat.
 2 Nec solet in sacro, cum venit, esse diu.
 3 Nosse cupis causam, consuevit, Pontice, bellos
 4 illa sacerdotes semper habere domi.

DE PRODIGIO JOCUS.

P5_63 v.1 Feta gravi vitulos bos quattuor aedidit alvo
 2 hei quam fecundi fertile ventris onus.
 3 Nec quicquam natura parens erravit in illis
 4 ipsa suas partu divite monstrat opes.
 5 Denique quod natum est quo vis testatior esset
 6 naturae sexus, omne virilis erat.
 7 Fertile prodigium quid vult sibi, dicere nolo,
 8 sed conjectari forte futura licet.
 9 Si pergant reliquae sic fetus edere vaccae
 10 auguror uxores defore bubus ego.

IN VERSIFICATORES DUOS ALTERUM COGNOMENTO SUTOREM, FABRUM ALTERUM.

P5_64 v.1 Sutor suit poema, procudit Faber
 2 coriaceos hic, ille versus ferreos.

IN QUENDAM MALEDICUM.

P5_65 v.1 Pontificum sacras leges Augustaque regum
 2 tura solet quidam carpere morologus.
 3 Nec satis esse putat jam nos proscindere viles ;
 4 fertur et in summos lingua proterva viros.
 5 Nil mirum, canis ille sui scit moribus uti
 6 allatrat cunctis ille, at hic obloquitur.

AD CYNNAMAM.

P5_66 v.1 Jupiter Europam nivei sub imagine tauri
 2 dilectum Cretes per mare vexit onus.
 3 Duxit olorinas candenti corpore plumas,
 4 cum deus ad Ledaē tecta volaret amans.
 5 Et clausam pluvio Danaen delusit in auro,
 6 semihominis Satyri cornibus Antiopen.
 7 Amphitryona fuit regem mentitus, in unam
 8 mirifice noctes cum coiere duae.
 9 Et si te videat, sed ne te viderit oro,
 10 Cynnama, in amplexus et volet ire tuos.
 11 Non aurum, non taurus, olorve, aut quidlibet horum
 12 verum se major si queat esse velit.

AD CHAROPAEAM.

P5_67 v.1 Mitior Aeacides circum, licet Hectora muros
 2 Iliacos rapuit te, Charopaea, fuit.
 3 Ille quod inflixit ferro sanavit eodem
 4 vulnus, et auxilium noxius ante tulit.
 5 Ast ego quem tetigit telo tua dextra latenti
 6 saucius hoc longo tempore vulnus alo.
 7 Nam quid commerui Pelides acer in hostem
 8 proruit, officii crimine plector ego ?
 9 Crudelis nimium, nec enim quod tabeo curas
 10 et mala quod leti causa ferere mei.
 11 Credere quis poterit ? Scelus hoc immitis Achilli
 12 femina saevitia vincitur ira tua.

AD CYNNAMAM.

P5_68 v.1 Cynnama mi, quod sum niger objicis improba, quid tum
 2 si niger ? Et niger est carbo sine ignis ope.
 3 Quem simulac flammis adoleveris illico candet,
 4 purpureaque rubet gratius ille rosa.
 5 Sic me forte tui si corporis usseris igni
 6 tange modo, e nigro fiam ego purpureus.

DE SE IPSO.

P5_69 v.1 Basiolum merui Veneris, si frivola non sunt
 2 verba deae, servat pollicitisque fidem.
 3 Namque per immensum profugum dum quaeritat orbem
 4 filiolum, et triviis errat in ambiguis.
 5 Aequareosque aditus rimatur, et ardua caeli
 6 culmina, nec puerum repperit alma parens
 7 inveni fugitivum in me sua tela novantem
 8 intra formosae lumina Pasiphiles.
 9 Prodere quem mens est ; nostris namque ossibus ille
 10 ignem lascivis implicat ex oculis.
 11 Accenditque malis crudelis amoribus aegrum,
 12 si prodo hunc duplici commoditate fruar.
 13 Suaviolum Cytheraea dabit, me pressus et ille
 14 desinet occulta perdere saevitia.
 15 Quod si diva neget mortali basia, tanti
 16 mi fuerit, si det figere Pasiphilae.

AD LILIUM.

P5_70 v.1 Hesterna cenam Lili mihi nocte dedisti
 2 qualem Tithono non mihi jure dares.
 3 Vilis in exiguo rubuit tibi gammarus orbe
 4 apostata et bubulae portio carnis erat.
 5 Acria clausurunt cenam tria poma, secundas
 6 quae mensas credam sola fuisse tibi.
 7 Annosum lateri scortum consedit utroque
 8 et data sunt nobis vina nec horna quidem.

9 Quod si iterum cenae me vis adhibere rogatum
 10 non aliter verum hac lege venire volo.
 11 Aut mihi pone vetus, veteri cum Thaide vinum
 12 aut vino juvenem Thaida junge novo.

VADIANO SUO.

P5_71 v.1 Non vidi nostram biduo, Vadiane, puellam.
 2 Perpetua est aetas hoc misero biduum.
 3 Qua si iterum biduo fuerit mihi forte carendum,
 4 altera non aetas vivitur, emoriar.

AD EUMDEM.

P5_72 v.1 Oscula non domitae rapui, Vadiane, puellae
 2 sed non impune haec rapta fuere mihi.
 3 Nam pro basiolo, pro molli verbere linguae
 4 excepit pugnum dextera mala gravem.
 5 Et subito, sed non cui fiximus oscula, malam
 6 offendi pugno saevus et ipse pari.
 7 Erubuit, placatus ego mox altera junxi
 8 basia, saepe lubens quae repetita dedit.
 9 Oscula sic pariunt pugnos, sic oscula pugni
 10 ira et amicitias, seria mixta jocos.
 11 Aequa et iniqua simul miseri patiamur amantes
 12 credite, non alia lege paratur amor.
 13 Omnia speremus, timeamus et omnia : reddunt
 14 tristia laetitiam, verbera basiolum.

AD EUMDEM.

P5_73 v.1 Qui mihi sint ignes, qui sint, si quaeris, amores
 2 Cynnana an hic, an sit hic Gelasina mihi.
 3 Sit licet ista pudor fari, tamen aeger amaram
 4 hanc tecum sortem mi, Vadiane, querar.
 5 Hei mihi quam nostris Venus est contraria votis,
 6 quas noctu amplector nauseo luce miser.
 7 Optavi, quoties formas spectavimus istas
 8 centum, custodis lumina Juno tui.
 9 Has porro informes ubi conspikor et male tango
 10 tunc ego Tiresia caecior esse velim.

AD CYNNAMAM.

P5_74 v.1 Audi, Cynnama, nam quid me durissima temnis
 2 a male contempto jurgia digna viro ?
 3 Te propter tabesco miser, te propter eamdem,
 4 spretum est formarum quicquid in urbe manet.
 5 Ausus et intactis ego te praeferre puellis :
 6 sordebant aliae, dum mihi sola places.
 7 Sola mihi tu saeva places. O amantis acerbam
 8 sortem. Displiceo nae tibi solus ego.

9 Et possum durare miser constanter amando,
 10 dumque tuus non sum, vivo superba tuus.
 11 Bis sua diminuit, bis cornua Luna replevit
 12 ex quo sub tacito pectore crevit amor.
 13 Denique nil feci, perierunt verba diesque.
 14 Atque quod his gravius restat, ego pereo.
 15 Has ergo centumque alias jactabo querelas.
 16 Increpet et versa te prece noster amor.

AD EAMDEM.

P5_75 v.1 Quod tibi displiceo, nimium quod Cynnama nobis
 2 dura places, isthuc non, mihi crede, placet.

AD BONVISIUM.

P5_76 v.1 Mecum, here Bonvisi, promisit Cynnama totum
 2 esse diem, magnis testibus usa deis.
 3 Vix mihi promisit, subeunt cum nubila caelo
 4 tristia, et immenso Jupiter igne ruit.
 5 Addita nox operi saevo, pluviaque cadenti
 6 quo minus haec veniat continuata dies.
 7 Credo equidem, deus aut invidit gaudia nobis,
 8 aut in aquam nunc te, Cynnama, versus habet.

AD AELIANUM.

P5_77 v.1 Est edentulus, et senex Pyroga
 2 et lippis oculis, et aure surda,
 3 rugosa cute, pendulisque labris
 4 et naso fluitante pituita
 5 unum vertice vix gerit capillum.
 6 Quem Proserpina vellat occidenti
 7 et testudineo gradu per aedes
 8 repit, jam capuli decus futurum.
 9 Lustris hic modo bis novem peractis
 10 uxorem tamen, Aeliane, duxit.
 11 Cujus jure abavus queat vocari.
 12 Ut quae vix puto sexdecim decembres
 13 vixit candida, succi plena, comis :
 14 formosissima, Cypridos salillum.
 15 Uno quam novies die subinde
 16 una quam decies subinde nocte
 17 non salax Ithyphallus ipse lasset
 18 Tithono senior miser Pyroga
 19 uxori Cephalum negare noli.
 20 Vulcano quoque turpior nigranti
 21 jam Martem Veneri invidere noli.

ALIUD AD NEAERAM,

P5_78 v.1 Cum multis tibi res quod est Neaera

2 iccirco, mihi crede, moecha non es.
 3 Jam pridem vidua et misella caelebs.
 4 Non vir, vir tuus est, sed est cadaver.

IN RIVALEM.

P5_79 v.1 Rivalis temulentus et sacerdos
 2 Ursinum superat datis misellum.
 3 Quid me blandidici juvant amores
 4 quid tot carmina bella, tot lepores
 5 et tot mellea verba ? Proh deorum
 6 pollutamque hominum fidem, suum cor
 7 et vitam prius illa me vocavit.
 8 Nil non solus eram, et miser putabam
 9 illam dicere vera pejeratam.
 10 At nunc munere capta de repente
 11 Gerronem vocat, et jubet valere.
 12 Jam quaestus meretricius probetur.
 13 Jam nil libera concubina peccat.
 14 Matronae quoque, venditant amores.
 15 Nam quis Thaida damnet aes petentem
 16 si Cornelia moecha poscit aurum ?

DE AMANTIBUS DUOBUS

P5_80A v.1 Sub Jove stare diu per frigora dura coacti
 2 non redamans Chione frigida, Thermus amans.
 3 Discite jam vero quanta est in amore potestas
 4 incaluit Thermus, dirigit Chione.

ALIUD.

P5_80B v.1 Pellite dira foco vos frigora, nil mihi nudo
 2 igni opus est, alius me coquit ignis amor.

AD LYDIAM.

P5_81 v.1 Scita nimis turpi nupsisti Lydia Gallo.
 2 Sobria vinoso, morigerata levi.
 3 Quae modo quindecimum rara integritate sub annum
 4 perpressa es conjux impotis esse viri
 5 fis anus, et miserae nondum tibi contigit uni
 6 nosse maritalis gaudia vera jugi.
 7 Femina juncta viro turpi, mihi nempe videris
 8 aurea Vulcano cum sene juncta Venus.
 9 Cujus ad exemplum, modo si tibi justior esses,
 10 iret in amplexus Mars, mihi crede, tuos.

AD EAMDEM.

P5_82 v.1 Quo tibi blanditiae, quo dulcia verba parantur

2 quidve tot illecebrae, deliciaeque valent ?
 3 Quid juvat amplexus iterare atque oscula crebro
 4 et capere, et toties innumerata dare ?
 5 Si postquam reliquo sunt tempora tuta labori,
 6 ad metam et properat jam Venus ipsa suam :
 7 aufugis, et nimium luctaris rustica nobis.
 8 Et quod uterque cupit perdite, utrique negas.
 9 Diversis cum sis studiis et moribus istis,
 10 esse jecur, sed cor non reor esse tibi.

AD BARBARAM.

P5_83 v.1 Quicumque ille fuit, hoc qui tibi Barbara nomen
 2 imposuit, vere barbarus ille fuit.
 3 O quovis alio quam tali nomine digna
 4 quae superas Latias ore, animoque nurus.
 5 Quod si conveniens optem tibi reddere nomen
 6 unum formosae non satis esse potest.
 7 Pectus habes Veneris, Junonis lumina, crura
 8 matris Achilleae Cecropiaeque manus.
 9 Hinc te nominibus totidem cantemus, et una
 10 dicaris Pallas, Cypria, Juno, Thetis.

AD BENTINUM DE CANDIDA.

P5_84 v.1 Pars vitae sublata mihi est, pars altera restat
 2 dimidia tantum parte ego vivo mei.
 3 Illam autem eripuit radianti Candida vultu
 4 protinus ut nostro lumine visa fuit.
 5 Hoc quoque dimidium, quod mecum desidet aegre
 6 visa iterum quam mox auferet illa mihi.
 7 Quae, nisi me mavis facunde perire Michael
 8 ocius est ductu concilianda tuo.
 9 Causa aditus magna est, ut reddat itemque relinquat
 10 dimidium vitae, dimidiumque meae.

DE EADEM.

P5_85 v.1 Texit, amat, sciteque facit mea Leucis utrumque,
 2 cum Venere armatae convenit ergo deae.

AD CANDIDAM.

P5_86 v.1 Tu graphice telas, versus ego Candida texo
 2 hinc bene texenti Pallas utrique favet.
 3 Pingis acu quicquid vates ego carmine fingo
 4 nec tibi Phoebeum, nec mihi numen abest.
 5 Sic quoque me redames mea vita ardenter amantem
 6 ut sit utrique suis legibus aequa Venus.

AD GALLAM.

P5_87 v.1 Per gelidas mirare nives hiememque malignam
 2 nudum ire, ac non me frigore, Galla, premi ;
 3 nec saevi mihi vim Boreae, nec obesse procellas
 4 non pedibus glaciem vel nocuisse gelu.
 5 Ah nescis quanto magis ac magis urimur igni
 6 saevit inexstinctus per mea membra calor.
 7 Diriguisse putas, tactum me ardescere dices,
 8 jamque meo attactu deliquere nives.
 9 Non imber, nec hiems flammam abolebit amoris
 10 ipse vel in mediis trux amor urit aquis.

AD CORVINUM

P5_88 v.1 Dicebas hodie mihi te, Corvine, daturum
 2 piscem, qui patulo coctus in orbe rubet.
 3 Acria sed lippo quondam damnata poetae
 4 Allia convivae Saurus edenda dedit.
 5 Damnosae nimium miseris sed amantibus escae
 6 haec vos carpentes horrida poena manet.
 7 Limina dilectae triduo vitentur amicae,
 8 illa etiam quarto vix adeunda die est.

DE PUELLA IN BALNEIS VISA.

P5_89 v.1 Vidi in balneolis heri puellam
 2 qualem Jupiter ipse conspicatus
 3 pro Leda Danaeque concupisset.
 4 Nec plumis voluisset ille Cygni
 5 mendax nec pluvio tegi metallo
 6 Verum deposita repente summus
 7 majestate, deus libidinosus
 8 nudo corpore balneator esset.

PUELLAE COMPRESSAE SIMPLEX RESPONSUM.

P5_90 v.1 Simplicis ingenii compressa puella, vel uno
 2 amplexu cupidi reddita plena viri est.
 3 Cujus ut intumuit vitiatus pondere venter,
 4 et jam celari grande nequiret onus.
 5 Quaesita est cupido cur succubisset amanti,
 6 protinus haec simplex digna favore refert.
 7 Exiguo parvi contactu non ego membri
 8 tam cito, tam magnum crescere rebar onus
 9 quod pictor multis vix pingeret ipse diebus,
 10 nec caelatoris scalperet una manus.
 11 Stulta putavit enim naturae caela, stilumque
 12 artificum caelis esse stiloque pares.

AD BONIFATIUM AMORBACHIUM.

P5_91 v.1 Dulcis Amorbachi cui seria nostra jocosque
 2 credimus, et fida credita mente latent.
 3 Mutari nostros subito miraris amores
 4 curque diu placeat nulla, nec una mihi.
 5 Cur placeant multae causa est, quia gratia formae
 6 plurima diversas conciliare solet.
 7 Deinde quod una diu nequit, et constanter amari,
 8 cum fuerint multae, causa sit una satis.
 9 Plurima per vasti jactara pericula Ponti
 10 nondum Lotophagos attigit ista ratis.

FACETE DICTUM TUCCAE.

P5_92 v.1 Fausta precaturus gravidae, tumidumque gerenti
 2 in menses uterum "Jam, puto, Tucca, novem
 3 dulcis ut introitus sic opto sit exitus, inquit,
 4 ponderis istius plena quod alvus habet."

SCITUM RESPONSUM PUELLAE.

P5_93 v.1 Ante diem sapiens, mireque diserta, nec annos
 2 praecocis ingenii nata puella decem
 3 dicenti delira senex eris. Hinc nimis, inquit.
 4 Argueris prudens ipse fuisse puer.

C. URSINUS LECTORI.

P5_94 v.1 Seu bona, seu mala sunt juvenis, sunt carmina Veli.
 2 Quae vel non damnes vel meliora dato.
 3 Si meliora dabis, cedam tibi, non ego carpam,
 4 carmina si facias inferiora meis.

On trouve dans les épigrammes de Marius Secund, le frère de Jean, une pièce qui donne une explication plausible de la disparition de Casparus Ursinus Velius :

In mortem Ursini Velii.

Conjugis imapatiens morum, se jecit in Istrum
 et mortem cupido Velius ore bibit.
 Siccine semper eris sacris infesta Poetis
 femina et Orphea non satiata es
 nec sat erat sceleris vestri quod conscius Hebrus
 erubuit, lacrymis intumuitque suis,
 ni nunc Ursini infames nece volveret undas
 opprobrium vestri Danubius generis.